





SOLILOQVIA
DIVINI AMORIS,



&


EXPOSITIO IN PSALMVM XXXXV.

BEATI ANDREAE AVELLINI
Clerici Regularis.

Ex eius operibus excerpta.

Ex Italico in latinum translata

A IACOBO DENTICE
Clerico Regulari.



NEAP. Apud Honuphrium Sauium.
MDCXXXXVI.



Illustrissimo, & Reuerendiss. Præsuli
D. FRANCISCO SVRGENTI
Patritio Neapolitano
Ex Ordine Clericorum Regularium
Ad ArchiepiscopatumBrundusinum
Assumpto,
Mox ad Episcopatũ Monopolitanũ
Translato:
Quod B. ANDREÆ Auellini
Eiusdem Congregationis,
Quẽ ad salutẽ animarũ procurandã,
Semper & vsque ad senectã, & seniũ
Charitas diuina adstimulauit,
Studiosus imitator:
Factus Pastor, & forma gregis,
Secundum Deum ex animo
Diligat eum
Plusquam sua,
Plusquam suos,
Plusquam seipsum:
Hunc libellum mole exiguum,
Sed eximium argumento
Continentem Soliloquia
DIVINI AMORIS,
Et expositionem in Psal.XXXXV.

Ex operibus eiusdem Beati excerpta,
Et in latinum versa

L. M.
D. D. D.

IACOBVS DENTICE
Clericus Regularis.



LE-

LECTORI BENEVOLO.

IGnotum tibi eſſe non arbitror, amice lector, B. ANDREAM AVELLINVM multa Italice ſcripſiſſe, quæ vtpote ſacræ eruditionis non egena, ſummamque redolentia deuotionem maximæ ſunt vtilitati ijs, qui habent ſolatio ſanctos libros. Ob id exiſtimarunt omnes, quod ſi in latinam orationem verterentur, iuriſque fierent publici, fore vt hi qui prope, & hi qui longe, Itali ſcilicet & exteræ nationes fructum tamquam ex arbore vitæ caperent nedum ſuauẽ, ſed ſalubrẽ. Vt id negotij ſuſciperem multi conſilijs frequentibus me impulerunt, adeo vt quod à me non auderem (qui quantulus ſim probe noſco) fecerim tamen ne amicis viderer obluctari. Excerpſi igitur ſucciſiuis horis ex pluribus uoluminibus, quæ Beatus ille ſcripſit

calamo nũquam errante, neq; vsq; ad senectã ipsam uacillãte, pleraq; opuscula, eaq; in vnã collegi farraginem, & ex ipsis aliqua varijs adnotationib. vt ut potui cõfirmaui, animo potius vt in me imprimerẽtur boni mores, quam vt ea cõmitterem typis imprimẽda. Quę cũ vidissent aliqui, cõsilijs adiunxerũt calcaria adhortationum quò saltẽ aliquod ipsorũ euulgarẽ. Adstimulatus igitur do manus aliorũ placitis, & hæc Soliloquia Diuini Amoris tibi dedo prælibãda, quib. libuit addere expositionẽ in Psalmũ 45. daturus alia Opuscula, si hæc à te pręgustata fuerint cum auiditate. Vtinam cedant in Dei, seruiq; sui gloriã, & tui vtilitatem; quod erit si hi cœlestes latices ex fonte purissimo diuinæ Sapientię prouenientes nihil ex meo aqueductu suscipiant terrenæ facis.

DE

DE SOLILOQVIIS
BEATI ANDREAE
AVELLINI

In Latinum ex Italico
translatis.

D. IOSEPHI SILOS
CLERICI REGVLARIS.

QVas Diuus tacitis ſenex medullis
Cœlo corripuit faces beatas,
Æſtu dum nimio calet, refudit
Verbis pectore ab intimo diſertis,
Plenas Numine, concipitque voces:
Ceu velit facili ſinu receptos
Ignes diuite ventilare lingua.
Nec ſiſtit. Niueam ſenex papyrum
Facundo notat, & perurit igne;
Signata vt calamo pio fauilla
Flagret, perpetuo & perennet æuo.
Hæc tu, Parthenopes decus ſuperbæ,

La-

IACOBE, & decus eruditiorum,
Vt doctæ excipiant, probent & aures,
Permittis latio nitere cultu.
Quàm pulchrè stylus hinc, & hinc vterq;
Certant vnanimi æmulatione:
Te facundia ditat eloquentis
ANDREÆ, aurea commodas vicissim
Tu verba, artifici polita torno.
Sic tu, DENTICE, bracteis latinis
ANDREÆ pretium facis labori,
Sic ille ambrosio disertus ore
Has bellè tibi paginas perornat.
O, macti vice, mutuaque laude.
Vultu fulserit elegantiore
Cultis ille tuis notis renidens.
Viuas nomine gloriosiore,
Magni tu senis ore dum peroras.



D.GRE-

D. GREGORIVS CARAFA
Præpoſitus Generalis Congregationis Cler. Reg.

HOc opus inſcriptum, Soliloquia, & expoſitio in Pſalm. 45. B. P. Andreæ Auellini à P. D. Iacobo Dentice Congregationis Clericorum Regulariũ Theologo ex Italico in latinum tranſlata, cum iuxta aſſertionem PP. quibus id commiſimus, fuerit approbatum, vt Typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro ſigillo firmauimus. Romæ v. Non. Septembr. 1645.

D. Gregorius Carafa Prępoſitus Generalis.

Locus ✠ ſigilli.

D. Ioannes Montoya Secretarius.

EXCELLENTISS. DOM.

SOliloquia B. Andreæ Auellini ex Italico in latinum ab A. R. P. D. Iacobo Dentice mira felicitate traducta iússu E. V. perlegi, nihilq; in eis inueni, quod ab omni compositi, piique animi norma dissentiat.

Excellentiæ Vestræ

Addictissimus seruus

D. Didacus Capycius Latro.

Visa retroscripta relatione.

IMPRIMATVR.

Zufia Regens, Sanfelicius Regens, Caracciolus Reg. Capyc. Latro Reg.

IMPRIMATVR.


Gregorius Peccerillus Vic. Gen.

Frater Ioseph de Rubeis Ordin. Min. Conu. S. T. D. Eminentiss. & Reuerendiss. Card. Philamarin. Theol.



SO-

Sapientiam
Quam ſine fictione didici



Sine inuidia communico.
Sap. VII.

SOLILOQVIA B. ANDREÆ AVELLINI

Clerici Regularis.

SOLILOQVIVM PRIMVM.

Quod homo debeat Deum diligere.

Dominator Domine sine me loqui ad misericordiã tuam licet puluis, & cinis sim. Sine me loqui ad te amator meus, qui ex eo quod exposcis amorẽ meum præstas mihi fiduciam ad te accedendi. Exposcis à me amorem tu, qui nihil habes, nec habere potes quod ad te amandum

non adſtimulet. Tu enim bonitatis fons, vnde promanant omnia quæ bona ſunt, & vnde ſolum poteſt eſſe bonum: cur ergo voluntas noſtra non feretur in te quæ nunquam ſatiari poteſt ſine te? cur diligit vanitatem, & quærit mendacium, cum habeat te Deum ſatiantem in bonis deſideriũ ſuum? Tu potentiſſimus es ad ſaluandum omnes, cur igitur totum cogitatum non iactabimus in te, ſpem noſtram nõ collocabimus in te, toto corde nõ diligemus te, qui es adiutor in tribulationibus, & ſolus potes extẽdere brachium tuum ad ſaluandum nos de inimicis noſtris. Tu profuſiſſima liberalitas, qui omnia ſubieciſti ſub pedibus noſtris, minuiſti nos paulominus ab Angelis; & quaſi hoc parum fuerit, nobis te dediſti in præce-

ceptorem, in socium, in cibum, daturus in premium æternum: Cur ergò ingratus detrectabo meipsum tibi reddere totum, qui totum te dedisti mihi, & cui debeo plusquam totum. Tu sapientia æterna qui omnia fecisti, & quo nôn subſtentante omnia ad nihilum redigētur. Tu immensitas incomprehensibilis qui imples terram possessione tua. Tu pulchritudo antiqua, & æterna sine quo nec Angeli pulchri sunt, nec aliæ creaturæ decorę: cur ergo sine te ambulabo in regione vmbræ mortis? cur à te fugiam, cum vbique dextera tua inueniat omnes, qui te non amant? cur te non amabo toto corde qui solus es bonus, & decorus?

Sed ò voluntas mea iam non mea quæ decepta abis post vanitatem. O cor meum

durum quod nõ mollescit bonitas tam immensa, non excitant tam igniti stimuli amoris. O tenebræ offuscãtes plus nimio intellectum meum, qui dum dicit malum bonum, retrahit voluntatem à summo bono. Iam Domine fiducia mea quia semel cœpi, loquar ad te. Homo cum in honore esset si intellexisset amasset te, quia intellectus absq; ignorãtiæ nubilo contemplaretur te Deum æternum, omnipotentem, immẽsum, bonitatis omnis fontem, nihilq; boni in creaturis cognosceret absq; te, & ideo illas in te amaret, & odio haberet, si à te non essent. At per peccatum quia homo comparatus iumentis insipiẽtibus similis factus est illis, non intellexit, quæ supra se erant, & ideò vt mutum animal ambulans, corruptus
in

in terrenis, nil concupiuit nisi inane, & transitoriũ, nil amauit nisi malum. Inde Domine mi totus addictus creaturis factus est vile mancipium rerum mundanarum, qui creatus fuerat à te, vt dominaretur piscibus maris, volatilibus cœli, vniuersisq; animantibus, quæ mouẽtur super terram.

At ò bonitas inexhausta, quam nequit superare malitia. O amor vehemẽs, cui nequit resistere obduratio. O charitas exardescens quam extinguere nequeunt omnes aquæ iniquitatũ. Multæ erant miseriæ nostræ, satisq; peruicacia indurata, & ideo indigebamus te qui multus es in misericordia, & cuius miserationis non est finis. Vidisti enim Domine hominẽ oblitũ tui qui es creator suus, qui

nec diceret vbi esset is qui dedit ei & vitam, & inspirationẽ & omnia. Considerasti, quod diligendo factus est sicut ea, quæ dilexerat; vnde ambulando post vanitatem vanus factus est, eundo post mundum qui totus in maligno positus est, corruptus est in iniquitatibus eius; & in desiderio animæ suæ concupiendo quod fallax est & inane, attraxit vẽtum amoris sui; nec habuit aliquid pręter nihil ex vniuerso labore quo sub Sole laborauit. Idcirco Clementissime Domine descendit super nos misericordia tua; & vt viuamus legem amoris posuisti, transferentem de morte ad vitam, & auferẽtem velamen de cordibus nostris. Dixisti *Diliges Dñum Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus*

Matth. 22. 37. Marc. 12. 30. Luc. 10. 27.

nibus viribus tuis. Totum amorem requiris, quia nihil debet in homine remanere, qui totus factus est vt laudem dicat nomini tuo. Totum amorem requiris, quia indecens est, vt qui amando Deum fieri potest consors diuinæ naturæ, diligendo vana fiat nihil. Totum amorem requiris, vt totus homo dedicetur Deo qui in eo plasmando, reformando, iustificando fuit totus occupatus. En Domine ante te omne desiderium meum; fac vt diligam te indigus tui qui dilexisti me minime indigens bonorum nostrorum. Dicam sẽper Deus meus es tu, Creator meus, qui me fecisti propter te, qui me conseruasti, vt laudarẽ te, qui me de laqueo venantium soluisti, vt ambularem coram te, qui me charitate perpetua dilexisti, vt re-

demarem te, qui confirmasti super me amorem tuum ardentem, vehementem, superefluentem, vt semper concupiscerem desiderare te. Fac Domine vt totus ad te conuersus nunquam desistam à te amando, qui es maior omni amore, & benedictus in secula. Amen.

SOLILOQVIVM II.

Quomodo debeat homo Deum diligere.

O Domine Deus vita mea iubes quod te diligam in toto corde, cum illud non habeam; & si habeo, totum diuisum est, distractum, & obscuratum. Sed quia Domine ita iubes, fac quod iubes; crea illud nouum in me, vni, reduc, illumina illud, vt totū

ad

ad te dirigatur quod dependet à te totum. Scio Domine quid requiris à me cum dicis *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima,* *Matt. 22. 37.* Vis totam volũtatem meam *Marc.* quæ dirigat omnes potentias *12. 30.* *Luc.* animæ meæ ad te, quia ille *10. 27.* homo est, qui amat te, & custodit mandata tua. Requiris à me intellectum vt nihil contempler nisi quomodo possim laudem dicere nomini tuo, & ad Dei gloriam dirigere omnes actus vitæ meæ. Exposcis memoriam; quo recogitem te erga me; licet indignum, ingratum, reluctantem; magnificum, benignum, super malitia præstabilem. Petis concupiscibilem, & irascibilem, vt & ea quę oculos tuæ maiestatis offendũt odio semper habeam, & ea quæ maiestati tuę sunt placita faciam semper.

Vis vt diligam te in tota mẽte,& in omnibus viribus meis quia nedum externè, sed internè debeo exequi, quæ sint conformia legi tuæ; ita vt nihil sit in intellectu meo, nihil in voluntate, nihil in sensu, nihil in actibus fiat, quod sit cõtra præceptum tuum; nihilq; prætermittatur, quod sit mãdatum in lege tua.

O Dominator vniuersorũ, quid sum ego vt seruiam tibi cui seruiunt Angeli, cui millia millium ministrant, & decies centena millia assistunt faciẽtes verbum tuum ad audiendam vocẽ sermonis tui? Quid sum ego vt diligam te qui habes ministros tuos ignẽ vrentẽ, qui etiam spiritu feruẽtes veluti holocausta, toti incenduntur in amore tuo. Sed vis Domine vt seruiam tibi, vt tali seruitute liber sim; vis vt te dili-

diligam, vt hac dilectione mundus sim; vis vt obediam præceptis tuis, vt hæreditate possideam quę promisisti exequentibus mandata tua. Cognosco Domine quod præcipis quod te amem, quia tu prior me dilexisti; & quod totus te amem quia tu totus me diligis, & te totum dedisti mihi. Heu Domine mi quot vinculis tibi obstrictus sum, & non habeo quid retribuam pro omnibus, quæ mihi retribuisti. Creasti me ad imaginem, & similitudinem tuam, Dominum vniuersæ creaturæ me fecisti, nihilq; condidisti quod non deseruiret meæ vel necessitati, vel voluptati: nam terra me sustinet, aer reficit, aqua refrigerat, ignis fouet. Insuper tu es Deus fortitudo mea, in quo confortatus omnia possum; tu es firmamentũ

meum, in quo ſubſiſto; tu es refugium meum, in quo ſum ſecurus: tu es liberator meus, adiutor meus, ꝓtector meus quo ab omnibus inimicis liber ſum. Tu diligis me, & nimia charitate diligis, ita vt vndiquè circundet me amor tuus, & multa ſint vincula, quibus ad te trahis cor meũ. Sed quid faciam miſer, qui nihil habeo quod retribuam plaſmatori meo, creatori meo, benefactori meo. O immenſa bonitas, ò viſceroſiſſima charitas Domini creatoris mei. Tu Domine ſcis quod ſubſtãtia mea ſit nihilum ante te, & quod nec vnum pro mille valeam reſpõdere; ideo iuſſiſti vt redamarem te, vt ꝙ viribus nequeo poſſim dilectione compenſare. Diligam te Domine dilectio mea, diligam te fortitudo mea, diligam

gam te amor meus: adiuua quæso, & conforta me, vt amplius te valeam diligere, quia tua infinita bonitas omni dilectione maior est.

SOLILOQVIVM III.

Cur debeat homo Deum diligere.

SCio Domine ꝙ totum me tibi debeo, & plusquā totū à quo habeo totū id ꝙ sum, & ꝙ possideo. Cognosco ꝙ iure à me requiris dilectionem totam quia indecēs est vt totus te non redamet, qui totus à te amatur: vnde obsecro te vt cor meum vnias vt in toto corde te redamare possim, & tuo nomini cōfiteri. Sed quęnam tua bonitas, quænam clementia Creator mi. Tu Deus qui bonorum nostrorū

non

non indiges vis à me amari, qui à nullo quã à te ipſo potes digne diligi. Vis vt ego tibi ſeruiam qui habes Angelos miniſtros tuos facientes verbum tuum ad audiendam vocem ſermonis tui. Vis à me laudari quem laudant Angeli, & Archãgeli quem Cherubim, & Seraphim Sanctus Sãctus Sanctus proclamant. Cõtemplor Domine charitatem tuam, & obſtupeſco, nec habeo quicquam dicere niſi cũ
Gen. 32. 10. Iacobo. *Minor ſum cunctis miſerationibus tuis.*

Inſuper Domine exigis à me amorem vt opera mea in te dirigantur, ſintq; ſemina mercedis ęternæ, cum nullum opus admittas quod non ſit imperatum à charitate: ete-
2. Cor. 13. 3. nim *ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia; & ſi diſtribuero in cibos pauperum*

perum omnes facultates meas , & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem nòn habuero nihil mihi prodest . Vt igitur mihi prosit quicquid egero, vis vt te diligam , vt sic munera mea sint accepta coram altari tuo, nihilq; appareat in templo sancto tuo quod non sit aureum.

Etiam Domine requiris à me amorem vt fortis sim ad omnia quæ euenerint tentamenta . Tu enim scis quam multi sint inimici qui quærũt animam meam, quam callidi ad eam auferendã, quam maligni ita vt dicant semper exinanite exinanite vsq; ad fundamentum; quam fortes, qui arma armis coniungunt ad validius impugnandum; quomodo ergo potero subsistere nisi tu adiuues me? Inferis igitur in me amorem qui cum

ſit fortior morte me interritũ reddat ad torméta quęcumq; etiã exquiſita quæ furor diabolicus inuentauerit.

Vnde Domine magnus ille Anachoretarum pater Antonius in fame, ſiti, frigore, nuditate nullam non ſentiebat conſolationem? vnde tot mirabiles triumphos de ſe, de mundo, de diabolo reportabat, niſi quod amoris tui igne ſuccenſus purgabat ſeipſum tanquam aurum in fornace, abigebat tenebras errorum, vires diaboli debilitabat, & quia ex toto corde te diligebat, & ex omnibus viribus ſuis, famem ſatietatem, ſitim refrigerium, frigus fomẽtum, nuditatem ornamentum reputabat? Vnde tot Chriſti Martyres anhelabant educi per aquam, & ignem in refrigeriũ Paradiſi; vnde tot puel-

læ

læ ſexu, & ætate imbecilles in Chriſto confortatæ ad tormenta tanquam ad nuptias properabant, in ijs hymnum lætitiæ concinebant, tyrannos licet crudeles non formidabant: niſi ex eo quod diligebant te Domine qui es fortitudo imbecillium, & nunquam das tentationes abſq; prouentu vt poſſint ſubſtineri?

Vellem te cognoſcere pulchritudo tam antiqua. Vellē te amare bonitas tam immēſa. Veni quæſo lux lucis, & fons luminis, diſſipa tenebras ignorantiæ meæ, & illumina cor meum in teſtimonia tua. Veni Auſter diuine conuerte captiuitatem cordis mei, ſicut torrens, nec deſiſtas ſufflare donec in te confluam purgatus, & liquidus ob ignē amoris tui. Veni dulcedo æter-

æterna, & dulcora omnia amara mundi; ita vt lapides, ignes, eculei, gladij, cruces, & si quæ alia dira tormenta infernus excogitauerit sint mihi deliciæ. Sis fortitudo mea vt non timeã vel diaboli cruciatus: sis firmamentum meũ vt infractus sustineam omnes fluctus afflictionis: sis laus mea vt etiam inter ipsa tormenta repleatur semper os meum laude tua. Qui viuis & regnas cum filio tuo, & Spiritu Sancto vnus Deus in sæcula sęculorum.

SOLILOQVIVM IV.

Quod homo debeat Deum diligere quia vita eius est.

O Deus vita cordis mei vis vt te diligam, vt viuere possim; quia absq; te nec viui-

viuimus, nec respiramus. Etenim tu vita nostra es, tu spiritus oris nostri si diligemus te, quia qui non diligit manet in morte. In vmbra tua viuemus Domine quia absq; te neque hic degere vitã possumus viuificãtem, nec in patria glorificantem. Scio Creator meus quod non vis mortem peccatoris, sed vt cõuertatur, & viuat; & quod ideò misisti Filiũ tuum, vt nos qui mortui habitabamus in sepulchris, vitã haberemus, & abundantius haberemus. Ideo enim infelicissima est mors damnatorũ, qui semper viuent moriendo, eo quod nunquam poterunt leuare oculos suos ad te in quo solo vita est, & sine quo nihil est quod viuat. Ideoq; è cõtra felicissima est sors Beatorum qui nunquam cessare possunt ab amore tui, vnde

ine-

inebriati ab vbertate domus tuæ, & torrẽte voluptatis tuæ potati, nunquam tangentur à tormento mortis, quia cum ſint in manu tua,in te ſemper viuent,qui es vita viuentium.

O incompræhenſa bonitas ſi felix eſt quem ſatias, introduc me in cellaria tua,propina mihi vinum defæcatum amoris tui,inebria me, vt nihil ſentiam nihil deſiderem nihil curem niſi te,nihilq; paueam niſi elongari à te; fac vt amore tui mundo mortuus in te viuam, qui miſiſti Filium tuum vt pro me mortuus extraheret ex inferis animam meam. Suſtenta vitam meam per miſerationes tuas:vt amãdo te viuam, & in te viuendo non lædar à ſecunda morte, ſed totus te redamem,qui totus amaſti me. Ne permittas Domine ad tot voces quibus

me reuocas obdurari, ad tot amoris tui igniculos obrigere: disrumpe cœlos, veni, impera, fac tranquillitatem in corde meo q̃ est quasi mare feruens; fac vt aquæ igne ardeant; & quod si aliunde non possum, amore compensem amorem tuum.

Scio Domine quod holocaustis non delectaris, nisi oblatis ex corde toto, & supra ignem nunquam deficiẽtem charitatis; Vocibus illis tinniunt aures meæ *Si obtuleritis holocaustomata, & munera vestra non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam. Aufer à me tumultum carminum tuorum, & carmina lyræ tuæ non audiam*. Ne quæso patiaris me accedere ad te ignẽ consumentem, & nõ comburi à flamma charitatis tuæ, qui facis ministros tuos ignem *Amos. 5. 23.*



vren-

vrentem;fac vt vota mea non ſint inflata ſpiritu ſuperbiæ & vacua virtute, ſed in ſpiritu humilitatis ſuſcipiantur repleta tuo ſpiritu, qui humilia reſpicit in cœlo, & in terra. Concede vt non ſim velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, ſed ex præcordijs meis totus ad te directus offeram tibi ſacrificium laudis, amorem meum, quo honorem te. Ne permittas Domine me qui in ſortem Sanctorum vocatus ſum, interq; tuos miniſtros adnumeratus, quod ſeminem multum, & parum inferam, neq; quod mercedem mittam in ſacculum pertusũ. Fac Domine vt te diligam vt ſic dirigantur in te omnia opera mea, qui ſolus es merces vera, & æterna. Sed quid ſum ego, vt diligam te bonum æternum immenſum infinitũ,

putredo, vermis, nihil? Quid retribuam tibi pro omnibus quæ mihi retribuisti? Quod habeo Domine hoc tibi do. Do tibi cor meum, quia tunc illud inuenero & erit meum cum illud tibi dedero. Do voluntatẽ meam quæ tunc mea erit cum tibi confitebitur. Do meipsum quem existimauero felicem cum totus ad te reuersus fuerit qui exulabat à te totus. Suscipe me Domine secundum eloquium tuũ quo dixisti. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, Sic non confundar ab expectatione mea sed viuam in te sperando, qui adiutor es in æternum, & in sæculum sæculi. Amen. *Matt.* 11. 8.

SO-

SOLILOQVIVM V.

Quod homo debeat Deũ diligere, vt eum intelligat.

O Domine Deus illuminatio mea sine qua in tenebris viuo dẽsissimis, & vmbra mortis. Domine qui doces me à iuuentute mea in, in cuius lumine tantum videre possum lumen veritatis. Infunde cordi meo tui amoris affectum, quo mundanis illicijs non offuscatus considerẽ mirabilia de lege tua. Scio Domine quod abscondis incerta, & occulta sapiẽtiæ tuæ à sapientibus & prudentibus & reuelas eas paruulis qui rationabiles & sine dolo amore tui perciti te tantum concupiscunt, te tantum quærunt & portari anhelant ad vbera con-

consolationis tuæ. En Domine ante te omne desiderium meum, inflamma affectum meum, vt illumines intellectum, quia viæ tuæ non sunt, sicut viæ hominum: hic enim non amamus, nisi quæ intelligimus; & quia in mundo non est nisi bonitas personata, intelligimus malum bonum, & bonum malum; ideoq; qui faciendo bonum progredi debueramus de virtute in virtutem, facimus malum declinando à bono. At is habet intellectum in tua lege magis illuminatum qui cor habet magis adhęrens tuis testimonijs; prius enim scribis legem in tabulis cordis, vt habeamus voluntatem in lege tua; quam inuenire facias disciplinam bonam coram Deo, & hominibus; nec vnquam lucernam lucentem exhibes

quin prius facias ardentem.

Ideoq; Domine quando de cœlo se se præcipitauit amor tuus apparuerunt dispertitæ linguæ tamquã ignis qui sedit supra singulos eorũ, quia tunc forent proflui verbis cum charitate ferbuissent. Ignis enim comburit syluam, & flamma comburit montes, sic amor tuus comburit mõtes superbiæ, syluamq; omnẽ radicitus consumit rerum mundanarũ, quo semen verbi tui non seratur super spinas suffocantes, sed super nouale bene proscissum aratro compunctionis. Illuminat ignis, ꝙ prius inflammauerit, & quo ignis excrescit, eo magis flãma resplendet; sic Domine nõ das intellectum ad scrutandã legem tuam nisi prius des cor ad eam amãdam, & quo magis das amorem in corde, eo

ma-

magis das intelligentiam in intellectu. Ideoq; Apostolis licet in schola tua eruditis dixisti. *Habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo,* quæ vtiq; poteritis cum Paraclytus de cœlo descendens reddensq; corda vestra flammantia suggeret vobis omnia quæcumq; dixero vobis. Hinc Domine multi qui alta de te intelligunt, disputant, speculantur, nil tamen intelligunt quæ faciant pro lege tua,& pro salute sua;ideoquè obscuratur insipiens cor eorũ excœcante eos malitia eorũ ne videant Sacramenta *Dei,* & ne sperent iustitiæ mercedem.Hinc è contra plerosquè fecisti in lege tua eruditissimos, qui habeant cor ad eam addictissimum. Quis enim altius de te intellexit, quàm Catharina,cui desideranti ad

Ioa.16. 12.

te tamquam ad fontem aquæ perennis manifestata sunt incerta,& occulta tuæ ſapiētiæ? Quis profundius inueſtigatus eſt doctrinam Euangelicam, quā Franciſcus, qui dum tibi intra ſimillimus fuit per amorem extra quoq; factus eſt ſimillimus per imitationem.

Iam Domine capio quod ideo vis à me amari, vt amādo te conſiderarem mirabilia de lege tua, vtq; hæc intelligentia mihi ſit ſapida, & lex tua ſemper ſit in mente, & ore meo,ſi ſemper ſit in corde. En Salus, & illuminatio mea cor meum ante te, quære illud quia abijt poſt amatores multos. Vni illud Ignis diuine quia diuiſum, & diſſipatum eſt in tot creata. Reple illud Spiritus viuificans, quia ambulando poſt vanitatem vanum factum eſt. Stabili

li illud Firmamẽtum æternũ, quia positum in decliui iam defluxit in ima vitiorũ. Tranquilla illud Pax vera, quia sicut inundans fluuius semper frangit repagula legis tuæ. Inflamma, & dissolue illud Ignis consumens, quia à facie Aquilonis totum obriguit. Illumina illud Lumen ęternum, quia in insipientia sua est obscuratum. Domine si vis potes illud mundare, & inflammare, vt nihil aliud velit quã legem tuam, quam ponat in medio sui, adeo vt nihil ex eo prodeat, nisi quæ faciant ad gloriam, & honorem nominis tui; quem inuocare, quem laudare, in quo sperare est vera iucũditas, & iubilatio cordis nostri.

SOLILOQVIVM VI.

Quod debet homo amare Deum vt exurgat à peccatis.

O Domine vis vnitiua animæ mea, & virtus maritans mentem meam. O bonitas profusa, quæ nil quæris quam communicari. Vide Domine, & considera, quod seruus fugiens à te nil inueni præter diram tyrannidem, q Filius à te aberrans consumpsi hæreditatem meam, & factus sum mihi regio egestatis. Quod Onager essuetus in solitudine attraxi vẽtum amoris mei. Erraui Deus meus sicut ouis quę perijt; factus sum veluti drachma perdita, iam in morte maneo, quia ecce qui elongant se à te peribunt, & perdidisti omnes qui forni-

can-

cantur abs te. Accende lucernam miserator Domine, & quære me. Voca me, & respõdebo tibi, nec amplius aures porrigam alienigenis. Emitte manum tuam de alto, & eripe me de luto aquarum multarum. Dic animæ meæ salus tua ego sum, vt exurgam à mortuis, exciterq; voce tua, qui excantatus fui à voce venefici incantantis. Reduc me ad te, qui à te deuius adhæsi non vni, sed tribus ciuibus regionis infernalis, Mihi scilicet, Mundo, Diabolo; & paui porcos, carnales videlicet affectus meos. Viuifica me Domine secundum eloquium tuum quo dixisti *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à vijs suis, & uiuat.* *Ezech. 21. 23.*

Vides me Domine conculcatum in sanguine meo, sed

qui adhuc cognoſco quam malum, & amarum mihi fuerit derelinquere te Deũ Creatorem, Redemptorem, Amatorem meum. Vellem Domine adhærere tibi, ſed nequeo quia cum tu ſis æternitas, & bonitas infinita, ego ſum putredo, & malitia inexplebilis. Ideo obſecro te ignis diuine, vt comburas in me quod meũ eſt, & conuertas me totum ad te, vt mutatus in te poſſim per charitatem vniri tibi, qui ideo voluiſti fieri particeps naturæ noſtræ, vt nos cõſortes faceres diuinitatis tuæ. Si tantum audeo tu mihi præbuiſti fiduciam, qui dixiſti delitias tuas eſſe nõ cũ Angelis, ſed cũ filijs hominum: qui reliquiſti nonaginta nouẽ oues in deſerto, vt venires ad ouẽ, quæ perierat, vt eam perditam quæreres, inuẽtam reuocares

cares, laſſam reficeres, refectã reduceres ſuper ſemitas iuſtitiæ. Iam Domine laſſatus in via iniquitatis in regione vmbræ mortis, nil inueni præter laqueos, & ruinas. Impulſus euerſus ſum, & incidi miſere in laqueos prauæ conſuetudinis. Illumina vultum tuum ſuper me, miſero miſerere ſeruo tuo; fac vt te diligam ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus animæ meæ; ſic enim agglutinata tibi anima mea, è cœno vitiorum emerſa, collocabitur in regno dilectionis tuæ.

Iam cõſidero qualis factus ſim tibi qui me ad imaginem tuam formaſti, qui mihi vitã & miſericordiam tribuiſti, vt in te tantum viuerem, qui ad te tãtum factus ſum. Sed heu qualis euaſi, qui abiens poſt fœditates factus ſum ſicut ea

quæ dilexi, vanus, inquinatus, putridus, peſtilens. Conſidera Domine quod factus ſim vilis, exalta me de lacu miſeriæ, & de luto fecis; fac vt diligam te; vt qui feciſti me ad imaginẽ, & ſimilitudinẽ tuã, amando te fiam tibi ſimilis per charitatem, qui per vanitatem factus ſum ſicut ea, quę perdite dilexi. Feciſti me Domine ad te, abſcondiſti mihi magnam multitudinem dulcedinis tuæ, de ſinu Patris tui in terram deſcendiſti, vt me ad cœleſtia reuocares; & adhuc adhærebit terræ anima mea? O ſol iuſtitiæ faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, eleua me, doce me iuſtificationes tuas, vt in ipſis viuens iam non ſim amplius vile mancipium mearum iniquitatum. Ne permittas me Dñe à te ſeparari, quia tunc adhæ-

adhærebit anima mea post te cũ mẽ suscipiet dextera tua; fac vt mente in celestibus habitem, & nõ amplius demergar in limo profundi, vbi non est substantia. O altitudo incompræhensibilis quis ad te non leuabit cor suum, in quẽ desiderant Angeli prospicere? quis non adhærebit tibi, qui solus es Deus saluos faciendi? quis non timebit te, qui es vlciscens in omnes adinuentiones peccatorũ? quis nõ amabit te Bonitatem immensam, sine qua nihil bonũ est; Pulchritudinem antiquã, in cuius conspectu nec aliqua creatura, nec cœli ipsi sunt mundi; Liberalitatem profusam, quæ te de sinu Patris in terram demisisti, vt te dares nobis tui indigentibus, qui minimè bonorum nostrorum indigebas?

O filii hominum vſquequo graui corde, quamdiù habebitis cor lapideum, durum, ad terram declinem, quamdiù quæretis mendacia, & diligetis vanitatem? Surſum, ſursũ eleuemus corda noſtra, & qui facti ſumus ad illum nō quieſcamus in terra. Multiplicata eſt ſuper nos miſericordia eius, quia multæ erant noſtræ miſeriæ. Docuit nos multas vias vitæ, vt multis itineribus peruenire poſſemus ad ſalutem. Nihil intentatum reliquit, vt nos alliceret ad amorem ſuum, quem deſiderat, & exquirit à nobis. Ne igitur cęcutiẽtes ſimus ad ſolẽ iuſtitiæ diffundẽtem tot radios bonitatis ſuę; neq; ad vocem tanti clamoris obduremus corda noſtra, ſed effundamus corã eo, quia ipſe Amator, Redẽptor, & Adiutor noſter eſt.

Dili-

Diligamus eum ſolum, quia ipſe ſolus eſt fortitudo noſtra & firmamētum noſtrum. Diligamus eum ex toto corde, quia totum ſe nobis contulit ad ſalutem. Diligamus eum ex tota mente, quia in ipſo ſolo quieti eſſe poterimus. Diligamus eum ex omnibus viribus noſtris, quia ipſe omnipotentiam ſuam manifeſtauit in eruendo ex inferis animas noſtras.

SOLILOQVIVM VII.

Quod debeat homo amare Filium Dei, eo quod factus ſit homo.

VIdeo Domine quã profundæ ſint cogitationes tuæ. Conſidero opera tua, & expaueſco. Confiteor te Domine Regem ſæculorum immor-

mortalem, inuisibilem, incõprehensibilem, sed pro me exinanitum, factum opprobrium hominum, obedientẽ ab ipsa natiuitate vsquè ad mortem. Visibilem, vt videremus te vitam nobis manifestatam, & manus nostræ contrectarent te verbum vitæ. Carnem factum, vt habitares in nobis, daresq; nobis potestatem fratres tuos fieri, cohæredes Regni Patris tui, filios Dei. O viscerosissima charitas quantum te profundis. O potentissimus amor quantum præuales, ita vt triumphes de Christo, vincas vincentem omnia, eumq; qui omnes superminet supermineas.

Domine quid est homo ꝙ memor sis eius, aut filius hominis, quod reputes eũ adeo vt apponas erga eum cor

tuum

tuum, vnigenitum scilicet filium, qui excepto peccato in omnibus homini assimiletur. O homo, quanta facta est dignitas tua, qui non amplius terrenus, sed cœlestis, imo diuinus factus es. O quanta erit ingratitudo tua qui paruulũ filium datum tibi non agnoscis, non amas, non vereris. Considera quantus sit ille, qui humiliauit semetipsum, ne tu puluis, & cinis per superbiam elatus fieres tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ. Vide qualis sit qui factus est obediẽs vsq; ad mortem, vt tu nunquam desineres obedire voci Dei assidue te clamantis. Contemplare quã diues sit qui egenus factus est vt ipsius inopia tu ditesceres. Cogita quod Dominus magnus, & mirabilis, seruus factus est, vt te donaret liberta-

te

te filiorum Dei; & quod qui erat inter mortuos liber dedit ad mortẽ pretiosam animam suã, vt liberaret à morte inferni animam tuam. Iam
Gen. 3. 10. dicere non poteris *Vocem tuã audiui, & abscondi me*, quia nõ audis vocem terroris quam proferat Deus vltionis, sed vagitum vocemque dilectionis quam profert Deus, qui venit tibi mansuetus. Ne di-
Exod. 20. 19. cas *Nõ loquatur nobis Dominus ne forte moriamur*, quia Christus loquutus est nobis verba vitæ, vt in ipsis viuamus, crescamus, nec vnquam supplantentur gressus nostri enutriti verbo quod procedit de ore
Ps. 112 5. Dei. Nec subdas *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat*, quia iam vides illum carnem factum in nobis habitare. O ingratissimus homo si nõ redamaueris eũ, qui taliter

ter amauit te,si totum non te dederis ei, qui totum se dedit tibi, si nil cures, nil desideres præter eum, qui tam diligenter quæsiuit te.

Sed ò Domine Creator meus quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi. Inutilis sum, & imbecillis ita vt nequeam respõdere vnum pro mille; Ideo amabo te ex toto corde,quia tu cor requiris dum vides me nihil habere,quo tua beneficia valeam compensare.Multa etenim,& magna profusissime largitus es: Nam ad imaginem, & similitudinem tuã me formasti; Omnia sub pedibus meis subiecisti; Toties sub vmbra alarum tuarum me protexisti; in omnibus vijs meis me custodisti; de cœlis in terram descendisti; frater meus fieri voluisti; te ipsum in cibum, po-

potum, lauacrum mihi tribuisti. Quid ergo ad hæc potero dignum dare? Scio Domine, quod totum me tibi debeo, qui fecisti me; multum quia, multis beneficijs cumulasti me; plusquam multum & totum, quia redemisti me. Sed nihil sum, & ideo timeo appropinquare vacuus ante cōspectum tuum; Peccator sum & ideo pauesco à facie furoris tui: Miser sum, & ideo non audeo loqui ad immensam maiestatem tuam. At tu misericors, & miserator respice in me, & miserere mei. Crea ex nihilo in me cor meum, quod totū sit ad te, & inquietum sit semper si non perueniat ad te. Parce mihi, vt in tuis sermonibus iustificeris, in quibus dixisti te nolle mortē peccatoris. Miserere mihi val de miserrimo, qui multus es

in misericordia. Pastor bone quære ouem errantem, quæ abiens per inaccessa vitiorum multum laborauit, quā toties super humeros tuę protectionis ad tuam caulam reduxisti. Mandata tua nō sum oblitus, & ideo ad oues tuæ pascuæ pertineo. Age Domine attende, & fac; ne moreris propter temetipsum, quia nomen tuū inuocatum est super me; excita, & reuoca, accende, & rape, flagra, dulcesce. Pauper sum ego, ditare me, quia diues es in misericordia. Insipiēs sum, doce me, quia in te sunt omnes thesauri sapientiæ; Æger sum, sana me, quia medicus es sanans omnes infirmitates, & redimens de interitu vitam nostram. Famelicus sum, satia me dulcedine tua, quia pinguis est panis tuus omnesquè delicias prębens. Sitiens sum,

pota me fons aquæ ſalientis in vitam æternam . Frigidus ſum , & obrigui à facie Aquilonis , vre omnes iniquitates meas calcule ignite , purga me, diſſolue omnem duritiem cordis mei , nec deficias donec in te confluam purgatus, & liquidus igne amoris tui. Ne permittas Domine me vnquam à te ſeparari, cui voluiſti temetipſum immiſcere; fac vt sẽper viuã tibi,tamquã corpus capiti coaptatum,qui corpus tuum in me contemperaſti , vt vnum quid efficiamur. Fac vt ſemper tecum viuam qui mihi te dediſti panẽ vitæ;ſemper te amem,qui omnes amoris tui diuitias in me tam copioſe profudiſti , ſemper in te ſperem qui in Sacramẽto tui corporis dediſti mihi pignus æternæ gloriæ . Fac vt totus intrem in te habitatio

tio mea secura, totus in te quiescam dulcedo mea sancta, totus in te viuā vita mea imperturbabilis.

SOLILOQVIVM VIII.

Quod homo debeat Deum diligere, quia multa pro ipso passus est.

QVia semel cœpi non desinam loqui ad infinitam maiestatem tua altissime Domine, & licet puluis, plasma tuum sum, ideoq; spero te non despecturum opus manuum tuarum, licet paruulus, tu mihi prębes confidentiam ad te accedendi, qui dicis *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire*: licet pauper accedo ad te fiducialiter, quia pauper, & inops laudabunt nomen tuū, Matth. 19. 14.

&

& cum pauper clamat libenter exaudis eum. Ardenter amasti me, qui semper cogitasti cogitationes pacis quomodo scilicet me Deo Patri per sanguinem tuum conciliares; nunquam afflictionis, quo pacto scilicet digne vindictam sumeres de peccatis meis. Quæsiuisti me qui errraueram tanquam ouis quæ perijt; vocasti me, qui semper audiui vocem alienorum; Deduxisti me in semitã rectam, qui semper declinaueram à mãdatis tuis; Saturari voluisti fame, siti, frigore, nuditate, opprobrijs, flagellis, tormentis, vt in ipsis legerem expressè amorem tuum.

Quid dicam, aut quid respondebo tibi, qui nedum tãtum pro me fecisti, sed tantũ pro me passus es? Iam amor tuus vexillum erigit, quia in passio-

paſſione tua de te triumphauit. En Domine in qua nocte tradebaris teipſum nobis tradidiſti, quia flumina totius iniquitatis noſtrę minime obruere potuerunt charitatem tuam. Anhelabas ire quantocius ad paſſionem, vt celeriter de laqueo peccatorũ ex-extricares pedes meos, qui veloces erant ad effundendũ ſanguinem. In hortum introiſti oraturus ad Patrem, vt ibi quæreres hominem vbi Adã Deum perdiderat, eumque manſuetudine reuocares vbi Adam abſconderat ſe, & fugerat à facie tua. Factus in agonia orabas prolixius, ita vt fieret ſudor tuus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, vt requiem nobis dares laſſatis in via iniquitatis, noſq; liberares de ſanguinibus, quibus manus noſtræ

plenæ

plenæ erãt. Festinabas ire obuiam Iudæ scelestissimo proditori, quia perurgebat te charitas tua, nec sinebat qescere, donec operareris salutem in medio terræ. Permisisti, vt traditus voluntati peccatorum opprobria omnia exprobrantium venirent super te, vt requiesceret super nos, quod est honoris, gloriæ, & virtutis tuæ. Passus es denudari, vt ignominiam nostrã operires; flagellari, vt flagellis tuis corriperemur; percuti crudeli plaga, quia super dorsum nostrum apposueramus iniquitatem; spinis coronari, vt nos coronares gloria, & honore; deludi vt ab æterno opprobrio nos liberares: crucifigi, vt in Cruce affigeres ꝙ contra nos erat chirographũ decreti.

Ehu Domine quomodo ama-

amaſti me, quem reuocaſti à morte æterna nedum lachrymis, ſed labore multo, & pretioſo ſanguine quem copioſe profudiſti; nec voluiſti in te partem corporis remanere non vulneratam, vt in tot plagis videremus amorem tuũ. Requiris cor meum dicens Fili da mihi cor tuum, fac vt illud inueniam, quia tibi dare non potero, quod non poſſideo. Sitis amorem meum, quia in Cruce poſitus, ibiquè innumeris doloribus exagitatus, non dixiſti *Doleo*, ſed *Sitio*, fac vt amando refocillem te, qui es dulcedo mea. Dilecte mi candide, & rubicunde ex millibus electe. Tu candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago æternæ bonitatis Patris. Tu qui nihil rapuiſti, ſoluis pretio tui ſanguinis, quę debueramus pro pec-

C catis

catis noſtris. Agne immaculatè, qui peccatum non feciſti, nec inuentus eſt dolus in ore tuo, & tamẽ pro peccatis noſtris doluiſti. Scio Domine viſcera pietatis tuæ, agnoſco ardentiſſimam charitatem tuam. Video copioſam redẽptionem tuam, qui cum potuiſſes vel vnica gutta tui pretioſi ſanguinis ſubmergere omnia, & quæcumq; ſcelera totius mundi, aperuiſti in cœlo tui corporis tot cataractas, vt confirmares, & corroborares ſuper nos miſericordiam, & amorem tuum.

Omnes angores tui, omnia vulnera, cunctę guttę ſanguinis tui mihi dicunt, vt te amem, & ego ſurdus ſum adhuc ad vocem tãti clamoris? Dirumpe cor meum omnipotentiſſime Domine, contere illud pretioſiſſime ſanguis;

& si ego, vt adamantem, & silicem illud posui, tu ictu charitatis tuæ poteris ex eo scintillas elicere amoris, & sanguine tuo sacratissimo illud adeo emollire, vt totũ effundatur coram te. Ad emissionem spiritus tui dirumpuntur petræ, & adhuc cor meum lapideum resistit ictibus tui amoris? terra mouetur, & adhuc voluntas mea nõ abstrahitur à terra, cum videat te stillare tot imbres gratiarũ? Velum templi scinditur à sũmo vsq; deorsum, & adhuc intellectus meus obuelatur? Aperiuntur monumenta, & cor meum, adhuc in morte manet non te diligendo? Domine vellem te diligere, & nequeo absq; te. Tu amorem iubes da quod iubes, & iube q̃ vis; quia cor meum semper frigidum erit, nisi accendatur

à te, qui es amor ſemper ardens,& charitas neſcia extinctionis.

SOLILOQVIVM IX.

Quod debeat homo amare Filiũ Dei, eo quod Cruci affixus, & mortuus lanceæ vulneratus fuerit.

AMantiſſimé Dñe quo te perduxit amor vt cruci affigereris, qui nunquam fuiſti maledictus; vt felle,& aceto potareris, cum in tuo ore nunquam mendacium ſit inuentum; vt tãtum effunderes ſanguinis,qui ſanctus eras,innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus;vt emitteres tu ſpiritum,qui das omnibus vitam, & inſpirationem. Sed fuerint hæc tui amoris oſten-

oſtentamenta, quod à plantâ pedis vſq; ad verticem capitis non fuerit in te ſanitas; ꝙ crucifixus, quod mortuus pro me fueris: ad quid voluiſti lãcea latus tuum tranſuerberari? Laboraſti viuus ſuſtinens pro nobis, qui laborare te fecimus in peccatis noſtris, & in iniquitatibus præbuimus tibi laborem fabricando ſupra dorſum tuum. Cur ſaltem laſſo, excruciato, aff.icto, crucifixo, mortuo non datur requies? Sed ò dilectiſſime Redemptor meus hoc amoris eſt nũquam ſatiari; nam ideo voluiſti cor tuum lancea aperiri, vt in ipſo legeremus quomodo amaſti nos, quos nedũ in manibus, ſed & in corde ſcripſiſti.

O cor noſtrum pluſquam lapideum, quod non conteritur ad ictus amoris tam ve-

hementis, plusquam æneum quod ad flammam sic vrentē non liquescit. Quid enim vltra potuisti facere, & non fecisti Creator meus? quæ tormenta, opprobria, dolores sustinere poteras, & non sustinuisti Redemptor meus? cur ergo mucro dirus lanceæ vulnerauit cor tuum amator meus? quasi inimico parum fuerit, in te viuum insurgere, si in mortuum non sæuisset? Iam Domine dicere potes vulnerasti cor meum, sed non soror mea, quia si in sordibus, non sum Filius Dei; non sponsa, quia abiens post amatores multos abs te fornicatus sū. Iam in corde tuo video amorem tuum ardentem, vehementem, ex ipsis visceribus prodeuntem; agnosco dignitatem animæ meæ, quam tanto pretio redemisti;
con-

confidero grauitatẽ peccati mei, ꝙ te ad tot amariſſimas paſſiones prouocauit. Sed cognoſco me redemptũ pretio magno, ideoq; dignũ æterna pœna ſi te Deum meum toto corde non glorificauero in meo corpore. En offero tibi Domine totũ meipſum: vre, ſeca, immitte afflictiones, dolores, tormenta; ſed da cum tentatione prouentum, quia ſine te non potero ſuſtinere. Cognoſco Domine in te paſſo fœditatem peccati mei, iã illud abominor, & dico; Veh animę meę tàm profundè demerſæ, & tam ſordido cœno ſordidatæ. Clama Domine voce forti, penetra medullitus in interiorem aurem cordis mei, dirumpe ſurditatem meam, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.

Iam Domine ſonat vox

tua in auribus meis, iam pœnitet me peccasse, iam surgo de puluere, & abrenuntio pascere porcos, iam redeo ad patrem meum, & cõfugio ad te, qui es refugium meum, & tota ratio spei meæ. Video te in Cruce, capite inclinatũ, vt procideres super collum meũ, quo toties extencto ambulaui contra te, vtq; oscula mihi infigeres, qui toties mercator pessimus osculo te tradidi. Extendentem brachia, vt me per deuia vitiorum aberrantem antea, sed postea ad te confugientem exciperes, & protegeres sub vmbra alarum tuarum. Aperientem manus, vt me adimpleres omni benedictione. Confixum clauibus, vt longanimiter me toties reluctantem expectares. Pendentem de cruce, vt scirem vnde excerpere possem fructum

vitæ æternæ. Spinis redimitum, vt me gloria, & honore coronares. Felle, & aceto potatum, vt me tua dulcedine inebriares. Corpore toto distentum, vt totum te mihi dares in morte, qui totum te mihi in vita dedidisti.

O bonitas incomprænhensa cur ergo ex omni me non redamabo te, qui totum quod assumpsisti de me, mihi ad salutem contulisti? cur in te nō reponam omnimode spem meam, qui tam copiose, dolenter, amanter me redemisti. Tu enim Domine maior es illo homine negotiatore, qui inuenta pretiosa margarita, vendidit omnia sua, & comparauit eam: nam quærés me sedisti lassus; me de profundo extraxisti, & deterso luto gēmam fecisti; & vt comparares conscidisti saccum tuum

ſcilicet corpus tuum immaculatum, vt effunderes ſanguinem pretioſum in redemptionem animæ meæ. Iam Domine conſidero veſtem tuam vndiq; conſciſſam, vt vndiq; paterent miſericordiæ tuæ: video corpus tuum vndique emittens ſanguinis ſcatebras, vt vndiq; haurirem aquas ſalutares de fontibus Saluatoris mei, & vt abundãter haberem eas ad ablutionem, ad ſanationem, ad irrigationem, quia multæ erant infirmitates, & indigentiæ meæ. Ne permittas quod iucundentur amplius inimici mei ſuper me, quem pretioſo ſanguine redemiſti; fiat manus tua vt ſaluet me, vt cantẽ tibi gloria mea, & non confundar. Fac vt proijciam in te omnem cogitatum meum, quia à nullo alio poteſt eſſe

mihi

mihi bonum, nisi à te, qui solus es bonus, omnipotens, immensus: fac vt nunquam elõger à te, quia ecce qui elongant se à te peribunt, perdisq; omnes, qui fornicantur abs te. Concede, vt semper amem te, quia omnis copia, quæ tu nõ es, egestas nimia mihi est; omnis pax, quæ tecum non est, amaritudo amarissima; & infernus domus mea est, & erit, absq; te, qui solus es salus mea, exultatio mea, & portio mea in terra viuentium.

SOLILOQVIVM X.

Quod debeat homo amare Deum quia in eo solo inuenit bonum quo frui possit.

QVid facis anima mea? quid adhuc iaces in te-

nebris,& vmbra mortis, & nō leuas oculos tuos ad solem iustitiæ, in cuius pennis est illuminatio , & salus ? quid adhuc iaces in profundo cum videas Dominum emittentē manum suam de alto, vt liberet te de aquis multis ? Iam firme credis nil boni esse tibi posse nisi à Deo , qui solus est bonus; & qui si tibi non illuxerit,per tenebras, & lubricum ambulabis. Iam experta es terram, quam tam ardenter dilexisti, & cui adhęrere tam firme statuisti nihil germinasse tibi pręter spinas,& tribulos. Iam profecta à Deo dissipasti fortitudinem tuā in meretriceas cupiditates, totamq; te coinquinasti sordibus concupiscentiæ. Iam gustasti omnes mundanas cupiditates multo felle aspersas, & non esse nisi semina æter-

æterni cruciatus. Iam probe vides magnam esse multitudinē dulcedinis Domini quā abscondit timentibus se, & sperantibus in misericordia sua. Iā experiris ꝙ diligētibus Deum omnia cooperentur in bonum, & quod nihil sit honoris, gloriæ, dulcedinis quod non requiescat super eos, qui toto corde quærunt, & diligunt nomen suum. Cur igitur resistis tot iaculis, quibus dulcissimus Dominus suauissimo amoris vulnere transfigit medullas tuas? Cur non liquescis præ nimio amore? cur nō ardes præ desiderio, si ignem venit Dominus mittere in terram, & non vult nisi vt ardeat? Cur amore non langues si Dominus propter nimiam charitarem qua te dilexit dedit corpus suum percutientibus, genas vellentibus, faciem

non auertit ab increpātibus, & cōſpuentibus in eū, deditq; in mortem pretioſam animā ſuam? Hoc ideo eſt, quia poſuiſti inter te, & Dñum murū, iniquitatē, cuius eſt ita à nobis diuidere Deū noſtrum, vt elongetur à nobis quantum diſtat ortus ab Occidente.

Sed veni Domine faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, fac vt videam ſcelera mea, conuerte me ad te, noli arbitrare me inimicum tuū. Aufer iniquitatem, & pone in me æquitatem. Aufer à me cor lapideum reſiſtentē mandatis tuis, & crea in me cor carneum ab omni ſorde mundatum, quod liqueſcat ad flāmam charitatis tuæ. Surge Aquilo, veni Auſter diuine perfla in me, & fac vt cor meū diffluat ſicut torrens concretum in Auſtro. Conuerte captiui-

ptiuitatē meā, sicut cōuertisti captiuitatem Magdalenę, quę vt cognouit te recumbentem, quia inclinis es ad miserendum; & in domo Simonis leprosi, quia nō nauseas peccata nostra; amore tui percita, ad te solum Deum fontem viuum tamquam cerua sitiens desiderauit. Sed ò Domine sū tamquam terra arida expers irrigationis, quæ peruenire potest ex fluuio pacis, quem super nos facis declinare, qa oppono claustra peccati, & repagula obstinationis. Ideo non inebrior ab vbertate domus tuę; quia stomachum habeo siliquis porcorum exsaturatum. Accēde in me amorem tuum Domine, perrumpe repagula iniquitatis meæ, dulcesce mihi dulcedo sācta, & suauitas vera; fac vt nihil cupiam, nisi te, qui solus potes

tes dulcedine replere viscera animæ meæ, & solus es delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies, & tranquillitas mea. Quid enim Domine est in vniuersa cœlorum amplitudine, quod me vel reficere possit, vel oblectare, nisi tu, qui cœlos reples gloria tua? Quid enim est in terra, ubi nihil est, nisi uanitas, & afflictio spiritus, quod me satiare possit, præter te, qui cum sis bonitas incompræhensa, solus replere potes bonis esurientes? Obsecro Domine, vt deficiat caro mea ita vt nō amplius sim animalis homo, sed spiritualis; deficiat cor meum, ita vt totum alteratum, & quasi diuinum effectum nihil videat in cœlo, & in terra, præter te, qui es Deus cordis mei, portio mea, & hæreditas æterna. Ecce

enim, qui elongant ſe à te per transſgreſſionē legis peribunt, quia a te auulsi tanquam palmites infructuoſi digni ſunt, qui mittantur in ignem ad ardendum in æternum. Mihi autem adhęrere tibi fide, ſpe, & charitate nedum bonum, ſed optimum eſt, ſpemq; meā à rebus mundanis omnibus auulſam in te tantummodo collocare.

Iam Domine renuit conſolari anima mea, quia nihil eſt in vita hac voluptuoſum, quod non occupatum à triſtitia, nihil dulce, quod non reſperſum felle amaritudinis, nil ſublime, quod immune ſit à caſu. Recordor miſerationū tuarum, quæ à ſæculo ſunt, & delectatus ſum; imo, & delectabor magis, cum tibi magis adhærebo per charitatem, ſi ſola memoria, & deſiderium

tantam affert voluptatem. Expergiſcere anima mea, ſurge de puluere, abrenuncia omnibus, quæ in mundo ſunt, in quibus nec ſatietatem inuenire poteris, nec quietem. Contemne temporalia, & inquire æterna, noli amare vanitatem, ne fias vanus, ſicut ea, quę dilexeris. Ama Deum, qui ſolus poteſt in bonis replere deſiderium tuum. Recogita te eſſe liberatã à Domino liberatore tuo, & poſitã in libertatem filiorum Dei; ne igitur iterum fias vile mancipium creaturarum. Abijce à te amorem ſęculi, abrenuncia Satanæ, & omnibus operibus ſuis, fuge mundum, qui totus eſt poſitus in maligno, obtura aures ne voces audias incantantium, qui narrant tibi fabulationes, ſed nõ vt lex Dei. Ama Deũ, qui ſolus eſt amator,

tor, Redemptor, & liberator tuus, vt cum in mundo pressuram habeas, in eo inuenias subleuationem, qui elisos erigit, dirigit iustos, & viuit, & regnat in sæcula sæculorum.

SOLILOQVIVM XI.

Quod debeat homo Deum diligere, quia in eo solo inuenit, quod faciat pro bono suo.

O Domine vita, & dulcedo animæ meæ. Incomprehensa bonitas, quæ omnimodè satias omnem creaturam, amem te solum, quia nihil est in Cœlo, & super terram præter te. Ideo fecisti Creator meus cor meum ad te, vt non declinem illud in terram, sed inquietũ sit quousq; ad te non per-

perueniat, qui solus sufficientia ipsius es. Etenim quod desideramus, quod quærimus, quod anhelamus in hac vita, & vanum est, & difficile obtinetur; inde nihil habet homo de labore quo laborat sub Sole, prẹter afflictionem spiritus & dolorem, ideoq; maledictus est, qui confidit in filijs hominum, qui nec dare possunt cum in ipsis non sit salus, nec volunt cum mẹndaces sint, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Quod si obtinemus id habemus, quod vanum est, & fluidum, quare & sumus in possessione anxij, cũ mundana omnia uelut aquæ sint, quæ in præceps fluunt; & in amissione dolentes, quia id amittimus, quod nũquam sumus recuperaturi.

At tu Domine, qui solus bonus es, & solus es summũ,

& uerum bonum, non affligis fame animã eius, qui te exurierit; quia cum habebit te nihil amplius supererit ei desiderandum, quia te posſidendo posſidet omne bonum. Tu non das fluctuationem, quia nunquam elõgaris ab aliquo nisi ille prius elongetur à te. Tu bonitas inexhausta, qui nunquam spem nostram abscindis, sed toties peccatis, & sceleribus expulsus, adhuc nos requiris, licet in sanguine conculcatos; adhuc uis expãdere super nos amictum tuæ misericordiæ, quo remittis, & tegis omnia peccata, & scelera nostra. Cur ergo non te diligam Satietas æterna, quæ satias sine fastidio: Requies imperturbabilis, quæ recreas sine anxietate: Misericordia insuperabilis, quæ licet à me irritata ha-

habes in te semper uiscera unde miserearis?

Cur non te diligam Bonitas infinita, quæ pro omnibus, quæ mihi retribuisti nullum aliud repensum requiris, quam ut te amem: Liberalitas immensa, quæ semper declinare facis super me fluuiũ pacis: Consolatio uera, quæ aufers à me omnem languorem? Cur non te diligam Magister uere, qui docuisti me uias iustitiæ in ueritate: Pastor bone, qui me ouem erroneam toties in ouile reuocasti: Ductor secure, qui deduxisti me in semitam rectã propter inimicos meos: Protector fortis, qui propugnator fuisti ad me saluandum: Susceptor pie, qui suscepisti me de uia iniquitatis? Sed Domine non possum te diligere, nisi tu dederis, fac ut te diligam,
&

& quod totus à me abalienatus, totus ad te confugiam.

En tibi præbeo uitam meã aufer à me eam, si totam non referatur ad te. En honorem meum tibi dedo, quem tunc habuero, cum diligam te. Hic ure Domine, hic seca, non recuso laborem, dolores tormẽta, gladios. Ignis, crux, bestię, confractio ossium, mẽbrorum diuisio, & totius corporis contritio ueniant super me. Tribulatio, fames, angustia, nuditas, persecutio in me sæuiant. Mors, Infernus, Diabolus seipsos acuant contra me. Hæc omnia nil pensi habeo, non curo, sperno, dummodo sit in me charitas, qua te amem super omnia, quæ tunc bona erit, si dependerit à bonitate tua; dummodo sit in me timor quo custodiam legem tuam semper, &

in-

in ſæculum ſæculi; dummodo totus te diligam, qui totus fuiſti in me creando, totus in me redimendo, & totum te mihi promittis in beatificando.

SOLILOQVIVM XII.

Quod debeat homo amare Deum quia in eo ſolo eſt verum gaudium.

DEus meus, uita mea, dulcis, dulcedo mea ſancta, requiris à me amorem, ut sẽper ducerem dies in lætitia, nunquam in mœrore; nam cũ nihil ſit in hac uita, quod non germinet afflictionem, tu ſolus es, qui germinas nobis gaudium, & laudem coram omnibus. Etenim diuitiæ fluxibiles ſunt adeo ut uix ad eas oculos aperire poſsimus

cum

cũm faciant ſibi alas ad volã-dum. Honores fallaces, & in æſtimatione hominum tantũ poſiti, qui non iudicant, niſi quæ apparent, vnde eorum iudicium fallibile eſt. Homines vani ſunt vnde fugiũt velut vmbra, & nunquam permanent in eodem ſtatu, mendaces ſunt vnde decipiunt de vanitate in idipſum, fallaces ſunt vnde qui confidunt in ipſis ſperant in baculis arundineis atque confractis. Deliciæ omnes, & voluptates licet variis illiciis ad ſe trahãt, trahũt tamen ad dedecus, ad ignominiam, ad mœrorem, quia nunquam ſunt non mœroribus occupatæ, nam extrema gaudii luctus occupat. Tu autem lætitia noſtra es, tu iubilum, tu exultatio; & ideo neſcit gaudere, qui neſcit te poſſidere: ideoq; Apoſtolus

Phil. 3. tuus dicit, *Gaudete in Domino semper; iterum dico gaudete*. *In te* dicit gaudendum, quia tu solus potes esse causa nostræ exultationis; *semper* subdit, quia nec tribulatio, nec angustia, nec persequutio, nec mors, nec vita, nec creatura, alia poterit nos separare à gaudēdo in te, si nos nō separauerit ab amādo te. *Iterū dico gaudete* repetit, quia vnaqueq; exultatio gradus est futuræ, & non est qui lætetur in te, qui nō eructet etiam memoriam abundantiæ suauitatis tuæ.

Ideo Domine Apostoli tui ibant à cōspectu concilij gaudentes, ideo se existimabant esse in honore quando non erant in honore hominum, ideo superabundabant gaudio quando videbant multipli-

plicatos, qui insurgerent aduersus eos, quia amabant te; & replebantur consolatione, quia videbāt sibi per paupertatem, stragem, cruorem, laniationem membrorū aperiri aditum ad soliū regni tui. Hæc autem tormēta ideo tolerabant, quia iam mundo mortui, & sibimetipsis, in te viuebant, & dulcis erat illis calix passionis dulcoratus à doloribus passionis tuæ.

O si scirent homines, quæ & quot bona pariat tribulatio, gauderent in ea, in qua dat Deus viam ad aperiendam spem æternæ vitæ; imò placerent sibi eo quod pressuris, & tunsionibus cognoscerent se poliri pro ædificio cœlestis Ierusalem: sed ideo dolent, quia nesciunt per charitatem adhærere tibi, qui in afflictio-

ne facis, quod nõ tribulemur; qui excutis flammam ignis de fornace, vt eos, qui in manu tua ſunt non tangat tormẽtum mortis; qui facis medium fornacis quaſi ventum roris flantem, vt in medio afflictionis recreemur.

Cur igitur non amabo te, Domine, qui es conſolatio mea, & auxilium meum, qui ſemper es mecum, nec derelinquis me etiam in fouea, & in vinculis? imo educis de laqueo quem ſtatuunt mihi inimici, & in tribulatione dilatas cor meum. Amabo igitur te Domine Deus liberator meus ex toto corde, nec patiar, quod à te me ſeparent omnia quæcumq; mala, quia ſicuti à te auerſus impoſſibile eſt, quod viuam etiam ſi abũdauero omnibus bonis vitæ huius; ita ad te conuerſus impoſ-

poſſibile eſt vt peream, licet ſit mihi ambulandum in terra deſerta, inuia & inaquoſa,& in medio vmbræ mortis. Igitur amabo te, quia ſumma miſeria mihi erit, ſi non amauero te. Amabo te ſolum,quia tu ſolus Dominus, tu ſolus Sanctus,tu ſolus Creator, benefactor,adiutor meus in tribulationibus. Amabo te ex corde,quia non ſuſcipis holocauſta, quæ non ſint medullata;& ex corde toto, nam veh illis,qui corde & corde loquũtur,& qui ingrediũtur duabus vii. Amabo te ex tota anima, quia nullam in vita mea partem relinquam, quæ nõ vacet tibi. Amabo te ex omnibus viribus meis,quia cum ſis immenſum bonum,quantumcũque te amauero ſemper es maior omni amore.

SOLILOQVIVM XIII.

In Ascensione Domini.

CLementissime Domine, qui venisti ad nos mitis, & mansuetus, & voluisti fieri frater noster, vt nos faceres consortes diuinitatis tuæ, qui verbo nos docuisti, & exemplo ostendisti quibus itineribus peruenire possimus ad salutem. Doce me magister bone, illumina me lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Tu dixisti exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Existi enim à Patre cum Verbum caro factum habitasti in nobis, ita vt videremus gloriam tuam, gloriam quasi vnigeniti à Patre qui nō exie-

ras

ras, cum Verbum eras à Patre prolatum splendor glorię, & figura substantiæ eius; nam verbum eras apud Deum: sed existi à Patre cum venisti in mundum; existi inquam non relinquendo Patrem, cũ quo semper manes vnigenitus in sinu ipsius; & sicuti cum venisti ad nos minimè Patrem reliquisti, ita cum reliquisti mũdum, minime nos reliquisti, cum Deus immensus vbique sis per essentiam, pręsentiam, & potentiam, cumq; sub speciebus panis, & vini semper nobiscum sis, vsq; ad consummationem sæculi.

O clementissime Domine quomodo amasti me, cui parum fuit omnia, quæ in mundo sunt sub meis pedibus subijcere, parum me ad imaginem, & similitudinem tuam efformare, parum exinanire

temetipſum, & habitu inueniri vt homo, qui ſemper es Deus immenſus, incommutabilis,æternus: ſed inſuper voluiſti fieri obediens vſq; ad mortem,mortem autem crucis, vt propter hoc exaltatus, me doceres humiliationem eſſe viam, qua peruenire poſsẽ ad ſublimitatem: Quid dicam, aut quid reſpondebo tibi cum talia mihi feceris?Naſcens te mihi ſocium dediſti, vt nos vere dicere poſsimus: Ecce Deus tamquam vnus ex nobis factus eſt.Me cohæredẽ tuum feciſti,quaſi parũ fuerit ſubijcere ſub pedibus meis omnia, quæ in mundo ſunt, niſi ẽt mihi dares cœleſtẽ hęreditatem. Exinaniſti temetipſum,vt me tua gloria repleres. Humiliatus es nimis,vt me de portis mortis exaltares. Deſcendiſti vſq; ad infe-
rio-

riora, vt illinc me educeres vinctum sedẽtem in tenebris, & vmbra mortis. Ascendisti crucis patibulum, vt ligno solueres damna ligni. Affligi voluisti, vt me ab afflictione liberares. Mortuus es, vt morte tua destrueres mortem meam. Sepultus, vt ex inferis extraheres vitam meam. Resurrexisti propter iustificationem meam. Vnde Domine video, quod totus mihi natus sis, & totus datus, quia totum, quod accepisti à me contulisti mihi in salutem. Sicut ergo progressus à Patre tamquam lumen de lumine apparuisti lux vera, & illuminasti omnem hominem venientem in hunc mundum, ita ut in lumine tuo ambularemus tota die; ita etiã relinquendo mundum, & eundo ad Patrem; etiam pro nobis

cœlos aſcendiſti, vt qui in lumine tuo exurreximus à mortuis in iuſtitia tua exaltaremur.

Aſcendiſti Domine in altum, vt ibi parares mihi locũ vnde cecidi, & quo per tuam miſericordiam ſum reuocatus. Aſcendiſti, vt cauſam meam diſcerneres Aduocatus apud Patrem iuſtus; vt me de gente nõ ſancta liberares Propugnator fortiſsimus ad ſaluandum; vt conciliares mihi paternam miſericordiam Propitiatio ſuperexcedẽs omnia peccata mea. Aſcendiſti, vt ſpem meam eleuares, qui depreſſus eram graui ſarcina iniquitatis, vt de cœlo reſpiceres in me, & miſerearis mei, vt me tibi tamquã capiti coagmẽtares in gloria, qui propter nimiam charitatem voluiſti me tibi per gratiam

co-

coagmẽtari. Aſcẽdiſti, vt nos ab his terrenis abducti non amplius quæramus intellectu, nec ſapiamus affectu terrena, ſed cœleſtia; vt ſcilicet vanis, caducis, corporalibus, vilibus poſthabitis, in cœlis vbi tu es, vera, æterna, ſpiritualia, ſublimia quæramus. Aſcendiſti, vt de excelſo cœlorum habitaculo large diffunderes bona tua, & ex alto tuæ miſericordiæ nos viſitares, & in nos mitteres ſpiritum tuum bonum de cœlis, ſpiritum ſapientiæ, vt videre poſsimus agenda; ſpiritum intellectus, vt eligamus, quæ ſunt recta; ſpiritum conſilii, quo conſulendo alijs proſpiciamus, ſpiritum fortitudinis quo nunquam, vel in aduerſis animum deſpondeamus; ſpiritum ſcientiæ, vt habeamus diuinæ legis cognitionem;

ſpiritum pietatis quo pura mente te coleremus;ſpiritum timoris, vt vereremur omnia opera noſtra. Aſcendens in altũ accepiſti dona, ab hominibus,quia ex his, quæ paſſus es, didiciſti compati, & eadẽ hominibus dediſti .ſ. merita ſãctiſsimæ humanitatis tuæ; & inſuper mittendo ſpiritum bonũ petentibus te, præbuiſti virtutem, vt fortes eſſent ad aduerſa ſuſtinenda,& obediẽdo prçeptis tuis ambularent te auctore, ductore, & directore ad videndum te Deum Deorum in Sion.

SO-

SOLILOQVIVM XIV.

Oratio ad Patrem, vel cum assistitur sacrificio missæ, vel ante communionem.

AMantissime Domine creator meus, quid tibi retribuam pro omnibus, quæ mihi retribuisti. A te enim habeo quod sum, quod redemptus, quod iustificatus sum; & nihil sum ex me, nisi putredo, & vermis, nihil habeo præter peccata, quibus thesaurizaui mihi iram tuam, vnde cum non possim respondere vnum pro mille eorum, quæ mihi retribuisti, confundor accedere ante conspectũ diuinæ maiestatis tuæ nedum vacuus, sed peccatorum sordibus inquinatus. Sed quid à me non sum, non habeo, non

valeo, vsurpo mihi ex meritis Domini mei Iesu Christi Saluatoris mei, quem ex Maria semper Virgine natum dedisti mihi. Illum pro me in cruce immolatum, meæ salutis causam, meæ regenerationis lauacrum, meæ redemptionis pretium, spem, vitam, & fortitudinem meam tibi offero. Ne respicias clementissime Pater ad peccata mea quibus te irritaui, respice in faciem Christi tui, qui te ad misericordiam incitauit. Offero tibi cor meum, sed rogo Dominum Iesum Saluatorē, quod illud antea purget, illuminet, & secum vniat. Ipse enim est agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum, amor indeficiens, qui delicias suas reputat esse cum

filijs hominum. Multa ſunt, & enormia delicta mea, quibus iram merui, ſed pretium ſuperexcedens eſt vnigenitus filius tuus, quem tibi offero hoſtiam propitiationis. Suſcipe eum clementiſſime Pater, pro innumerabilibus peccatis, offenſionibus, & negligentijs meis, quia ad hoc venit in mundum, vt peccata mundi tolleret, & peccatores ſaluos faceret.

SOLILOQVIVM XV.

Oratio ante communionem ad Filium.

IEſu ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris, quis ſum ego, vt intres in cor meum coinquinatum, & in quo nihil reſidet præter terrenum. Quo pacto accedam ad

ad te manducandum: si Præcursor tuus quem in vtero sãctificasti,& qui vitam suam, nec leui famine maculauit, sancto timore correptus se indignum æstimabat soluere corrigiam calceamenti tui. Quomodo auserim te intra mea viscera claudere, si Immaculata Virgo, quæ omnibus virutibus repleta meritorum verticem vltra Angelorũ Choros erexit vsque ad soliũ Deitatis, te Creatorem omnium conceptura cõtremuit, vnde cogitabat qualis esset angelica salutatio. Sed Dñe etsi indignus, tui tamen indigus sum; nam multiplicatæ sunt iniquitates meæ, creuerunt ignorantiæ meæ,& nihil est in meo corde, quod sit integrum: Pauper sum infirmus debilis,& repletus multis miserijs. Tu solus Domine con-
ner-

uerte re potes animam meā, quia non est aliud nomen, sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Tu solus potes me docere, qui solus potes illuminare tenebras meas. Tu solus restaurare, cui patent corda hominum, & qui solus sanas contritos corde, & alligas contritiones eorum. Tu ad vitam reuocare, quia tui sunt exitus mortis. Tu in viam rectam reducere, quia tu solus es magister verus, qui viam vitæ in veritate doces. Vincat ergo fides anxietatem meā, spes desperationem, & perfecta charitas foras mittat timorē. Accedo ad te fontem bonitatis, rogoq; te, vt propitieris peccato meo, licet multo nimis. Abyssum sapientię, vt doceas me bonitatem, & disciplinam, & scientiam. Perfe-

ctam iustitiam, vt in bonitate tua instruar in iustificationibus tuis. Medicum salutis, qui solus sanas omnes infirmitates. Fortitudinem meam in quo confortatus nihil est, quod non potero. Suauitatem meā qua prægustata etiam amara huius vitæ dulcescent. Tranquillitatem meam in qua securus dormiam, & requiescā, Refugium meum in quo securus ero ab omnibus inimicis. Intende Domine ad deprecationē meam, sana me, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero. Conforta me sanctorum principatum tenens, recrea, & suauiter affice aridū palatum cordis mei, saluum me fac in tua misericordia, quæ sola est tota ratio spei meæ. En congregati sunt inimici mei, vt dimicent aduersum me, & quid agere debeā igno-

ignoro. Para in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant me. Impingua in oleo infuſionis Spiritus ſācti mētē meā; calix tuus inebrians inebriet cor meū, vt obliuiſcar mala mea, & amplectar te, qui vnicum, & perfectum bonum es. Auctor, & conſummator ſalutis meæ grandis mihi reſtat via, à peccato ſcilicet ad gratiam, à vitiis ad virtutes, à terra ad cœlum, à creaturis quibus adhęſi tenaciter ad te Creatorem meum, cui adhærere cupio indiſſolubiliter; ſi dimiſeris me ieiunium deficiam in via, etenim de longe ueni, à ſumma ſcilicet miſeria, & à profundo lacu, in quo demerſus uixi; à regione egeſtatis, in quam miſer abii, & ubi conſumpſi ſubſtantiam meam: à terra ſitis, in qua fodi mihi ciſter-

ciſternas diſſipatas minime valentes continere aquas cõſolationis: à loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, *vbi occurrũt dæmonia, vbi piloſus clamat alter ad alterum*, vt validius inſurgant, & non eſt, qui eripiat. Libera me Saluator meus, refice me conſolator meus, cõforta me fortitudo mea, vt in fortitudine tua ambulẽ vſque ad montem hæreditatis tuæ. vbi Tu cum Patre, & Spiritu Santo viuis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum.

Eſa. 34

SOLILOQVIVM XVI.

Alia oratio ante communionem ad Filium.

DOmine, ſumme, omnipotens, incomprehenſibilis dicam verbum quo confundar hic, ne confundar in æter-

æternũ. Nõ ſum dignus, vt intres ſub tectum meum toties inquinatum, & omnibus vitijs repletum. Sed tu dic tantũ verbo, & ſanabitur anima mea: nam tu es, qui verbo tuo cœlos formaſti; & ſpiritu oris tui omnia, quæ in mundo sũt vitam habent, inſpirationem, & omnia. Ecce iam accedo ad te totus deformatus, & qui ad nihilum me reduxi, qui eram manibus tuis factus, & totus plaſmatus in circuitu. Reforma verbo tuo, quod toties deſtruxi opere meo: fac vt in ſpiritu oris tui ſtet vnda fluens cordis mei, & qui toties abs te defluxi, & abij in præceps, ſtabilis, & immobilis in te perſeuerem. Accedo, vt leproſus ad medicũ, & Sacerdotẽ. Clamo in toto corde *Domine ſi vis potes me mundare.* *Matth. 8. 3.*
Sonet quæſo vox tua, quæ miſeren-

ſerentis eſt in auribus meis *Volo*, quia non vis mortem peccatoris. *Mundare*, quia tu ſolus es, qui facere potes mũdum de immundo conceptũ ſemine. Accedo tamquam infirmus, qui multos annos habui in infirmitate mea, & ſpe-
Io.5.8. ro à te audire *Surge*, vt amplius non obdormiam in peccatis. *Tolle grabatum*, vt non premar ſarcina meorum peccatorum prægrauatus *Ambula*, vt deinceps progrediar de virtute in virtutem, qui olim corrui per abrupta vitiorum. Accedo, vt Zacchæus ſtatura puſillus, quia nunquam ad opus aliquod adſurrexi, quod ad te me dirigeret: Fac me audire vocem tuam, quæ cle-
Luc.19 5. mentiæ eſt. *Hodie in domo tua oportet me manere*, vt manendo tu in me, ego maneam in te, & nulla mala timeam quoniam

niam tu mecum es.

Tu es Domine , qui venisti, vt quæreres, & saluum faceres, quod perierat. En Domine ego sicut ouis, quæ periit , nam oblitus tui, qui pauisti me à iuuentute mea, audiendo vocem alienigenorum per deuia vitiorum aberraui , in condensa deueni , in tenebrosis constitutus sum; Vndiq; lupi rapaces me circumeunt quærentes me dispergere, rapere, laniare. Quære me seruum tuũ sperantem in tua misericordia, repone me super humeros protectionis tuæ, deduc super semitas iustitię, colloca in loco pascuę, fac vt amplius mala non timeam dum tu mecum sis. Tu es Domine Creator meus reformà in me opus tuum, & destrue opus meum . Tu es Redemptor

meus,

meus, ſubueni mihi famulo tuo, quem pretioſo ſanguine redemiſti. Tu es Saluator meus, ſaluum me fac in tua misericordia,& fac vt non cõfundar,quoniam inuocaui te. Tu es portio mea in terra viuentium, ſit mihi corpus Filii tui pignus hæreditatis æternæ ad quam adſpiro. Tu es Iudex meus,iudica queſo nocentes me, expugna eos, qui toties me expugnauerũt. Fac vt hic à te iudicer in correptionem,ne in futuro iudicer ad condemnationem. Exaudi Domine orationem meam exaudi me non in propria, ſed in tua iuſtitia confidentẽ. Perſecutus eſt inimicus animam meam, vt eam ſepararet à iuſtitia tua; humiliauit, atq; deiecit in terram uitam meam, ut tota terrenis adhęreret: Miſerere mei ſecũdum ma-

magnam misericordiam tuã, erige, & sustenta me, qui es Saluator, & protector meus, & viuis, & regnas in sæcula sæculorum.

SOLILOQVIVM XVII.

Oratio post communionem ad Filium.

GRatias tibi ago Domine Iesu Christe, qui propter me de sinu Patris in terrã descendisti; vt caro factus in nobis habitares, qui verbum eras apud Deum: quique ad cœnam tuam me vocasti, vt faceres consortem tuæ naturæ, qui cum in honore essem cum non intellexissem, comparatus eram iumentis insipientibus. En Domine à te susceptus in vnitate tui corporis, fac vt semper adhæreat

anima mea post te,ita vt indi-uiduitatē habeam in tuo cor-pore. Ne permittas me à te separari,quia tu es Deus cordis mei, & pars mea in æternum. Fac vt propter te sustineam opprobriū, confusionē,dolorē, cruciatus, quia tu pro me factus es obediens vsque ad irrisiones,blasphemias,verbera, & vsq; ad mortem Crucis.Concede *mihi sa*cramētum, & virtutem sacramenti. Etenim panis est suauissimus delicias præbens inexplicabiles, calix inebrians mutans gustum omnium *mū*danorum:Concede mihi nauseam rerum terrenarum, quæ panes sunt mendacii replentes calculis ora nostra;& vina decipientia, quæ splendent quidē in vitro fragilitatis, sed ingrediuntur blande,vt in nouissimo mordeant. Concede vt

vt in te quiescam, qui es requies vera; vt à voluptate tua inebrier, qui es torrens voluptatis; vt in te satier, qui es panis viuus omnes delicias prebens. Ne permittas Domine, quod vnquam præualeant cõtra me inimici mei, vel contra me insurgẽdo, quia tu es fortitudo mea, & refugium meũ; vel decipiendo, quia tu es illuminatio mea; vel instillando concupiscentiam vanitatum, quia tu es satietas vera replẽs bonis esurientes, & nullam prębens fluctuatiouem. Concede mihi omnium peccatorum remissionem, quia tu es medicus, & medicina auferẽs omnem languorem, & infirmitatem. Quia in te confido, sit mihi omne auxilium à tua misericordissima bonitate. Quia concupisco in atria, & altaria tua, deficiat anima

mea, vt nō amplius in me, sed tota in te viuat transformata. Domine virtutum præbe mihi fortitudinem cōtra omnes aduersarios meos. Rex meus rege me ne timeã mala cũ ambulauero in medio vmbræ mortis. Deus meus renoua iuuentutem meam. Tu qui es doctor, & esca iustitiæ, qui dedisti mihi legem legislator sapientissime, præbe mihi benedictiones, vt obliuiscens, quæ sunt retro, & extendens me ad anteriora, de virtute progrediar in virtutẽ, donec perueniam ad te videndum Deũ Deorum in Sion. Amen.



EXPOSITIO B. ANDREAE

In Psalmum XXXXV.



In finem, filijs Chorę pro arcanis.

QVis nam fuerit huius psalmi auctor apud Doctores est in cõtrouerso. Aliqui enim existimant compositũ à filiis Chore illius, qui cum Dathan, & Abiron contra Moysen coniurauit, *a* cuius rei historia est in libris Numeri, in qua visum fuit prodigium tum iustitiæ, tum

a Num. 16. & 26.

tum misericordiæ diuinæ: Iustitiæ quidem, quia *b Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, et operuit super congregationem Abiron*, insuperq; *c ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebãt incensum*; Misericordiæ verò, quia *d factum est grãde miraculum, vt Chore pereunte filij eius non perirent*. Hi autem, quia patris peruicaciæ non consẽserant immunes fuerunt à flãma, qui immunes fuerãt à fumo ambitionis; nec debuerũt absorberi à terra, qui erant ἄγιοι, præcipua præditi sanctitate, & in quorũ cordibus nihil insederat terrenum. *e Miraculum* autem grãde euenit, vt cum *dirumperetur terra, & aperiret os, vt deuoraret* illos tres blasphemos *cum tabernaculis suis, & omni substantia eorum*; remanserunt hi in aere pen-

b *Ps.* 105. 17

c *Num.* 16. 35.

d *Num.* 26. 11.

ἄγιοι *absque terra.*

e *Num.* 16. 34.

pendētes quousque terra denuo occluderetur, recedente ea à sua stabilitate ad vindictam malefactorum,& acquirente aere consistentiam ad laudem bonorum. In monumentum igitur animi grati hunc psalmum Domino cecinerunt,qui præstitit illis auxilium in tēpore tā oportuno.

Alij existimant compositū à Dauide præuidente Christifideles Ecclesiæ incipientis, qui *filij Chore*,ideſt Christi dici possunt; nam cum Chore interpretetur *Caluus*,Christum significat, qui in monte Caluario sub arbore malo Ecclesiam peperit. Huic sententiæ magis accedo, qui existimo omnes centum quinquaginta psalmos à Dauide fuisse cōpositos. Eucharisticus autem est hic psalmus, & ideo iure vsurpari potest ab iis quos

Dominus de multis tribulationibus eripuit, siue quæ ab hominibus proueniant, siue à diabolo. Et cum in eo fiat mētio adiutorij, & protectionis Dei altissimi, decātari debet ab ijs, qui spem suam in Deo collocant minime à periculis quantumuis grauibus infringendam.

1 Deus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quę inuenerunt nos nimis.

Deus quem nos colimus, refugium nostrum est, nostraque virtus; ideo multus est in nos liberando à mul-

multis tribulationibus, quæ venerunt super nos.

MIrum in hoc versiculo elucet Prophetæ artificium cum dicit *Deus noster*. Etenim Dominus licet sit Deus omnium creaturarũ quas condidit ex nihilo, attamen Deus hominum cupit esse per gratiam; ita vt nedum Creator, sed & Redemptor, Saluator, Iustificator, Glorificator hominum dici debeat; ideoq; peculiariter nos *Deum nostrum* illum appellamus. Item *Deus noster*, quia factus homo vocatum fuit f *nomen eius Emanuel*, quod interpretatur *nobiscum Deus*; voluit enim fieri frater noster, vt cohæredes nos faceret Regni patris sui, voluitque nobiscum conuersari, vt ad amussim vitæ suæ

f *Isa.* 7. 14. *Matt.* 1. 23.

nos dirigẽdo gressus nostros, consortes fieremus diuinitatis suæ. Insuper *Deum nostrum* appellat eum Dauid in persona iustorum, quia subdit *in tribulationibus*; sunt enim plerique, qui Deum suum dicunt in die lætitiæ, quem tamen negãt verbis, vel blasphemiæ, vel diffidentiæ in die tribulationis. Nos autem semper *Deum* nostrũ appellemus, siue cum nos præuenit in benedictionibus dulcedinis, coronatque in misericordia, & miserationibus; siue cum, vel visitat in virga suæ correptionis iniquitates nostras, vel probat nos tamquam aurum in fornace afflictionis.

Refugium, & virtus. Apte vtrumq; nectit Propheta; Etenim reperire apud aliquos filios hominum, *Refugium* licet difficile, attamen non est impos-

possibile, impossibile est autẽ, quod in illis inuenias virtutẽq; *in quibus non est salus ; exibit enim spiritus eius , & reuertetur in terram suam* : Deus autem noster est *Refugium , & virtus,* quia nedum excipit refugas, sed sustẽtat, *h nomen* enim *eius turris fortissima est* nedum ad suscipiẽdum , nam *ad eam currit iustus*, sed etiam ad saluandum, nam *i iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget eos tormentum mortis*, quare quilibet ipsorum dicere poterit K *Deus meus susceptor salutis meæ.*

g *Psal.* 142. 2.

h *Prou.* 18. 10.

i *Sap.* 3 1.

K *Ps.* 88. 27.

Refugium, & virtus, adiutor: Ob tria indigemus opitulatrice diuina manu, vel vt extrahat nos *l vinctos* à diabolo *in fortitudine* suæ iustificationis, & idcirco est *Refugium nostrum*: vel vt sustentet pedes nostros ne in lubrico labãtur, eosque dirigat in viam pacis,

l *Ps.* 67 7.

et ideo dicitur *virtus nostra*: vel vt præsto sit ad saluandum nos ab omnibus inimicis, qui vndique nos oppugnant, & quærunt supplantare gressus nostros, & tunc merito additur *Adiutor noster*. Emundemus autem corda nostra, vt iis vocibus Dominum cõpellare possimus; non enim peccator *suum* dicere potest *Deũ*, quem peccando à se reiecit neq; appellare *Refugium*, *Virtutem*, *Adiutorem* cum recesserit à Deo salutari suo. Nos igitur appropinquemus Deo, quia ipse appropinquãdo nobis præbebit fiduciam, vt ei dicere possimus *Deus noster*, *Refugium*, qui suscipit confugientes: *Virtus* quæ confortat debiles: *Adiutor* qui adiuuat oppressos.

At inquies cur dicitur Dominus *Refugium*, *& Virtus* iusto-

ſtorum, cũ multi ſint Dei cultores, qui de tribulatione ſua clamant ad eum, & non exaudiuntur? Sed iure omnium iuſtorum dicitur *Deus Refugiũ, Virtus, Adiutor in tribulationibus*, quia ſemper eis præſto eſt ad ferendam opem; vel externam eripiendo eos à multis tribulationibus, quæ eos circumdant; vel internam, præbendo fortitudinem vt non deficiant. Vult enim ſalutem ſeruorum ſuorum, quia eſt m *Deus ſaluos faciendi*, eiuſque ſunt *exitus mortis*, exaltatque ſemper de portis mortis temporalis aliquando, æternæ ſẽper: Ideoque D. Paulus ſemper dicere poterat Deum *Refugium, virtutem, Adiutorem* ſuum, ſiue cum n *eripuit eum ex omnibus* perſecutionibus, & paſsionibus *factis illi Antiochiæ, Iconiæ, & Lyſtris*: ſiue cum

m *Pſ.* 67. 21.

n 1. *Timot.* 3. 11.

in

o 2. *Corin.* 11. 12. o *in laboribus plurimis in carceribus abundãtius, in plagis supra modum in mortibus frequenter* non dicit se liberatum; imò quando p *rogauit ter Dominũ, vt discederet ab eo Angelus Sathanæ, qui eum colaphizabat* absque eo, quod exaudiretur: nã in primis tribulationibus expertus est Deum liberatorẽ suum à periculis externis, in his autem agonothetam, *in infirmitate perficientem suã virtutem*. Semper igitur dicatur, *Deus noster Refugium, & virtus,* quia semper Deus cum iustis est, semperque est adiutor opportunus in tribulatione, nam exaudit vocem eorum, qui de profundis clamãt; propter miseriam, & gemitum eorum mox exurgit, descẽdit cum illis in foueam, & in vinculis non derelinquit; exauditque eos, vel liberando de

p 2. *Corin.* 12. 7.

ma-

manibus filiorum alienorum, & de aquis multis tribulationum; vel faciendo, quod *in omni tribulatione non tribuletur* cum det prouentum, vt possint sustinere; ita vt iusti videāt monstra afflictionum conuerti in bonum, & gustent aquam mœroris factam vinum consolationis. Hoc in meipso expertus sum, qui nunquam accessi ad Dominum quin illum expertus fuerim *refugium virtutem, & adiutorem* meū, adeo enim in tribulationibus meis fuit misericordia sua magna super me, adeo me viuificauit in correptione sua, vt desiderem semper affligi, rogemque eum, vt det mihi in laudem nominis suis cum toto sāguine effundere vitam meam. q *Isa. 63.9.*

Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt, &c. Adiutorē, Virtutem, Refugiū dicere poterat

terat Moyses Deum vtpote liberatus à labiis operantium mendacium scilicet à perfidis illis, qui conspirauerant contra ipsum , quos terra deuorauit. Talem etiam appellare poterant filii Chore mirabiliter præseruati ne absorberentur. Sed cur iusti contra quos absque misericordia insurgũt viri mendaces ita non nanciscuntur Deum adiutorẽ? Hoc ideo, quia tunc Deus erat r *Deus vltionũ*,& proinde *f propitius erat terræ populi sui retribuendo vindictam in hostes eorum;* nunc autem, quia est Deus totius clementię longanimior est in sustinendo. Hinc autem peccator occasionem non sumat perseuerandi in delictis suis, cum coaceruando peccata thesaurizet sibi iram in die iræ Dei, qui grauitate tarditatem supplicii cõpensabit. Prop-

r *Psal.* 93 1.
f *Deut.* 32 43.

2 Propterea non timebimus dũ turbabitur terra,& transferentur mõtes in cor maris.

Ideo in Domino confisi nil nobis mali trepidabimus etiam si tota concutiatur terra, mõtesque è suo loco euulsi transferantur in medium maris ab eius fluctibus absorbendi.

PRæuiderant filii Chore in sua liberatione, quod per Christum liberãdi essent omnes fideles tum veteris, tum noui testaméti,& ideo in persona eorum dicunt *Propterea*

non timebimus. Etenim prisci illi discipuli Apostolorum cũ viderent *turbari terram*, corda scilicet iudæorum, quæ terrena erant, quãdo † *facta est persecutio magna in Ecclesia*, *quæ erat Ierosolimis*; et *montes trãsferri in cor maris*, Apostolos videlicet, qui montes erant in circuitu Ecclesiæ tunc nascẽtis, qui conuersi ad gentes *in cor maris* translati sunt, in mũdum scilicet vbi alebãtur horrenda monstra peccatorum. sed hi semper dicere poterãt *non timebimus*, quia longe debet esse à timore periculorũ, qui in corde suo habet Christum à periculis liberantem.

† *Actor.* 8.1.

Possunt etiam hæc verba intelligi prolata à Dauide præuidente, vel determinate ea pericula discipulorum, quæ exposuimus; vel quæcumque alia quorumlibet Christianorum,

rum; quæ.licet magna sint & multa, infractum ferient animum Christianum, solitum non solum non formidare, sed & ire gaudens in conspectum inimicorum, omneque gaudium existimare cũ in varias inciderit tentationes. Montes autem Apostoli dicti sunt ob firmitatem fidei & Euangelii, nã *u in fide fundati erant immobiles, & stabiles à spe Euangelij.* u *Colo.* 1. 23.
Ob perfectionem vitæ qua cœteros supere eminebãt, reliquerant enim omnia, & in omnibus semetipsos, vt Christum sequerentur. Ob sublimitatem contemplationis, & cognitionis mysteriorũ Dei, quia ipsi, qui fuerunt tamquã montes in circuitu Domini, & ante omnes lumen fidei habuerũt, & cœteris preclarius: *x Vobis enim*, ait Christus, *datũ est cognoscere mysterium regni* x *Luc.* 8. 10.
Dei,

Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant,&c. In
Isa. 2. 2 horum *montium vertice præparatus est mons domus Domini ad quem fluxerunt omnes gentes,*
Dan 2. 34. idest Christus, qui mons ille fuit *magnus, qui impleuit vniuersam terram, factus ex lapide abscisso absque manibus*; etenim ipse absque manibus abscissus est, nam *verbum hoc fecit*
Luc. 2. 15. *Dominus, & ostendit nobis*, par-
Isa. 9. 6. uus fuit in principio, quia *paruulus filius datus est nobis*, mox magnus mõs factus est, Apostolis eum annũciãtibus, quo-
Ps. 18. 4. rum *sonus in omnem terram exiuit, & verba in fines orbis terræ.* De eo etiam loquutus est ipsemet Christus apud Matthæ-
Matt. 17. 19. um, *si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis monti huic transi hinc illuc, & transibit* eo quod per prædicationẽ Apostolicam Christus à Iudæa ad

po-

populum nationum translatus sit. Nos autem hic consideremus quantum sincera fides valeat, quę Christum hinc illuc transfert: ab irato scilicet ad misericordem, à Iudice ad patrem, à vindice ad glorificantem.

3 **Sonuerunt, & turbatæ sũt aquæ eorum: conturbati sunt mõtes in fortitudine eius.**

Apostoli qui veluti montes in cor maris, in gentes cõuersi sunt, talem sonitum ediderunt, vt nedum populi ceu fluctus maris cõturbarentur, sed montes ipsi,

ipsi, potentes videlicet sęculi audientes magnalia Dei sicut cera defluerēt.

MOntes qui in superiori versiculo ob eminentiam, vel contemplationis, vel vitæ Apostolos significabant, in hoc significant potentes sęculi, qui contra eos, & Christi martyres insurrexerunt. Cum enim nullam in rerum natura sit, vel recula, quæ careat aliqua bonitate, nulla quoque erit, vnde aliqua similitudo transferri in bonum nequeat. Scriptura igitur sacra, quia sæpissime vtitur metaphoris, iuxta exigentiam, ex eadem re similitudinem trahit modo in bonum modo in malum. Etenim Dauid vt in mendaces inueheretur metaphora serpentis est vsus, *Acuerunt,* di-

Psal. 139. 3.

dicens, *linguas suas sicut serpentes*; & Dominus eadem metaphora vsus est, vt redderet seruos suos prudentes, *Estote*, inquiens, *prudentes sicut serpẽtes*, quia serpens quamuis perniciosum sit animal, multa tamen habet bona ad fidelium ædificationem conducentia; ex eo enim quod transit per angustum foramen, vt exuuia demittat pellis vetustæ, significat peccatorẽ, qui transeundo per foramen pœnitentiæ deponit veterem hominem, & nouum inducit, qui secundum Deum creatus est. Ex eo quod ad seruãdum caput habet pro nihilo, quod cætera membra pessum eant, instruit fideles, quod omnia arbitrentur vt stercora, vt Christum, qui caput est lucrifaciant. Ex eo denique, quod obturat aures ne voces audiat incantã-

Matt. 10. 15.

tium,

tium, nos monet, surdos esse debere ad sibilum diabolicæ suggestionis; & sicuti serpens alteram aurem fugit humi, altera vero obturat cauda, ita nos minime obsequentes erimus dicto venefici incantantes, si cauda obturauerimus aures cordis, considerando scilicet nouissima nostra; & terra, si reputauerimus nos puluerem esse, & in puluerem reuersuros. Aquæ etiam, quæ frequenter Spiritus sancti dona significant, eo quod refrigerent, & fœcundant, hic tamen sumũtur pro populis instar fluctuum agitatis, qui absque repagulis rationis eo magis se se illidunt tumentes, turgidi, suas confusiones despumantes, quo à spiritu furoris sui inuicem impellũtur. Quod videre fuit tẽpore prædicationis Apostolicæ; cum

enim

enim audiretur sonus eorum, qui in omnem terram exibat, *fremuerunt gentes* sæpissime;& Ps. 2. 1. nedum populi, idest inferiores eorum, & terrigenæ conturbati sunt *meditantes inania* contra ipsos, sed etiam *Reges terræ adstiterunt, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Christum*, quem Apostoli prædicabant. Ipsi autem interriti sonuerunt, quia *loquebantur* Act. 4. 4. *cum fiducia verbum Dei*, quod minime poterat alligari in corde eorum, qui omnia sustinebant propter electos, vt & ipsi salutem consequerentur. Quia tamen totum hoc ex superuenienti prouenit auxilio Sancti Spiritus sequitur.



4 Fluminis impetus lætificat Ciuitatē Dei: sanctificauit tabernaculum suū Altissimus.

Etenim Spiritus Sancti gratia per Apostolos vndiq; supereffluēter effusa circumdat Ciuitatem Dei, quæ est Ecclesia, vel anima iusti, eamque adimplet lætitia cū vultu suo, eo quod Altissimus est, qui vnumquemque fidelem seruum quem in tēplum suum eligit, sanctificat.

Flu-

FLumina hic accipiuntur pro Apoſtolis, vel viris Apoſtolicis,qui pleni diuina gratia eleuauerunt vocem, omnemque terram circumdantes irrigauerunt eam, & fœcundarunt. Ipſi etiam riui fuerunt illius fontis, qui dixit, *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius ſtuent aquæ viuæ*; & ſicuti qui accedit ad flumen pleniſſime ſatiatur, eo quod perenniter fluẽs ſemper habeat, quod effũdat;ita qui accedit ad Apoſtolos,quia cũ Deo pleni ſint, non poſſunt non diffundere quod in ſe habent. *Io. 7. 37.*

Eſt etiã in hocverſiculo alius ſenſus;nã ſi cõſideremusCiuitatem Dei Eccleſiam,vel animam fidelem, quam ſupra Propheta dixerat afflictam, nunc ab impetu fluminis lętificatam,dicemus, quod decli-

nare faciet Dominus fluuium pacis super eos, quibus datum est, vt pro Christo patiantur; quia in ipsis tribulationibus probe noscunt quot fructus lætitię parturiant persecutiones, labores, dolores pro Christo cruci affixo tolerati. Quarę pati pro Christo ita Christianum est, vt cui non datum est tribulationes desiderare, easq; cũ habuerit omne gaudium existimare, is neque dici debeat Christianus. Quare Crux quam libenter amplectenda, cum in ea gaudium sincerum, solidum, superabundans inueniatur etiam si mũdus eat susq; deq;

5 Deus in medio eius nõ commouebitur:

ad-

adiuuabit eã Deus mane diluculo.

Neque eam Ecclesiã vʒ. vel animã fidelẽ destituet incustoditã cũ in medio eius sit protegẽs, & propugnator ad saluandum: quare etiam si insurgant varia vitiorum tentamenta nõ vacillabit, quia Deus præsto erit ad auxilium ferendum quã celerrimè.

IRrito conatu impugnant peccatores Ecclesiam, vel animam iusti; nam Deus, qui est diligens, & fortis adiutor, quam citissimè illuminabit, & confortabit vtramque: Illuminabit quidem suggerendo, quod *momentaneum hoc & leue* 2. *Cor.* *nostræ tribulationis æternum glo-* 4. 17.

riæ pondus operetur; Confortabit cum sãctis cogitationibus roboratam reddet interritã, inflexibilem, inconcussam. O felix reuera anima, quę habet in medio eius inhabitantem Deum: quid enim boni non habebit cum habeat secũ omne bonum? & quid mali ab inimicis timere poterit cũ habeat Deum in tribulationibus adiutorem? Sed notandũ quod dicit Propheta *Deus in medio eius*, idest Ciuitatis, *non commouebitur*, vt innuat tunc adfuturum Deum cum habitauerit in nobis tamquam in medio ciuitatis: quare sit ciuitas, qui vult habere inhabitantem Deum; nam sicuti ea locus est quo plures conueniunt ad cohabitandum, ita ciuitas erit anima cum habebit vires suas rectè dispositas; cum scilicet caro non concu-

bifcet aduerfus fpiritum, fed illi fubdetur; cũ ratio quæ potior pars eft clauum tenebit, facietq; ne per concupifcibilem effrænem, vel irafcibilem nõ compreffam, anima malis artibus impingat; cũ memoria,intellectus,volũtas,ea exequantur,quæ fint conformia legi Dei, eaque fugiant, quæ illi non funt confona. Tunc fiet reuera ciuitas,quæ in medio fui Deum habeat,& tunc *non cõmouebitur* Domino præbente illi auxilium in tempore oportuno.

6 Conturbatæ funt gentes,& inclinata funt regna dedit vocẽ fuã mota eft terra.

Gentes autem, quæ post idola muta ibant cõturbatę sũt quando adhæserunt vero Deo: & Reges, qui ambulauerant contra Dominũ extento collo prociderunt coram Christo eius. Hoc autem factum est cũ Altissimus dedit vocem suã per Apostolos, quibus dedit quid loquerētur: *nã* Matt. 10, 19. *tunc terra mota est, quia homines terreni ab infidelitate ad fidem conuersi sunt, & à vitijs ad virtutes.*

DIcuntur conturbatæ gentes conuersæ ad fidem Christi, quia talis conuersio absque conturbatione nequit fieri. Impossibile est enim, quod

quod quis à via praua ad rectam côuertatur quin sentiat commotionem in seipso: vitia enim in natura nostra iam corrupta tamquam in sede quiescunt, & ideo virtutibus accedêtibus necesse est, quod conturbetur anima, cum lex mentis repugnet legi carnis; nam vbi illa suggerit homini, vt diuina ope soluat vincula colli sui, hæc captiuat eum in lege peccati. Gentes igitur prius deditæ crapulæ, lucris illicitis, & voluptatibus venereis, conturbatæ sunt cû Apostolos audirent abstinentiam, paupertatê, castitatem prædicare, quia in seipsis senserût militare carnales concupiscêtias, vnde sibi imperare non poterant ab ipsis abstinere; sed commotæ sunt, qui *Domino sermonem* Apostolorum cô- *Marc.* *16. 20.* formante *sequêtibus signis* pec-

catis, & idolatriæ mortui iustitiæ vixerunt. Reges autē, & potētes sæculi, qui antea crudeles, rigidi, peruicaces aduersus prædicatores veritatis insurgebant, *conturbati sūt*, dum furorem suum verti difficilem ad reprehendenda, & castiganda sua vitia conuerterunt. *Inclinati sunt* dum colla flecti nescia submiserunt iugo diuinæ legis, in eisque *terra mota est* verso in cœleste, quod in eis inerat terrenum.

Sed notandum, quod Propheta dicit *dedit vocem suam* ad quam *mota est terra*, quia Apostoli non armis sæcularibus armati strepitosum bellū vitiis indixerunt, sed loricati
Eph. 6. 12. iustitia, armisque fidei premuniti exeruerunt *gladium spiritus, quod est verbum Dei*, indeq.
Hebr. 11. 34. *fortes facti castra verterunt exterorum* commutando corda

ho-

hominũ ita vt ex sordidis haris vitiorum habitacula fierēt in quibus *beneplacitum fuerit Deo inhabitare*. Sed ò nos miseri ipsis gentibus deteriores in cuius auribus semper reboat sonus verborum Dei, quique semper in manibus habemus diuina eloquia, & tamen cùm audiamus Dominum frequēter, vel admonentem, vel obiurgantem, vel premia promittentem, non expergiscimur, non conuertimur? quinimò superbi, & peruicaces, vel renuimus iugari, vel iugati iugum suaue confringimus diuinæ legis, & vincula rumpimus mandatorum Dei. Igitur si audierimus vocem Domini loquentem nobis, non obdurremus corda nostra, & si senserimus in nobis commoueri passiones non perturbemur; nam Deus erit in medio no-

Ps. 67. 17.

strũ,qui dabit *vocem suam*, vnde *commouebitur terra*, quia terrenæ passiones in nihilum redigentur.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Etenim Dominus cælestium potestatum nobiscum est, suscipietque nos in clientelam, non idolũ mẽdax, sed verum Deus quem coluit Iacob.

RESponsio hæc est tacitæ obiectioni quomodo scilicet Apostoli pauci, inermes, rudes, omni prorsus auxilio destituti hoc opus aggredi,

gredi, & perficere potuerint. Etenim ipsi prædicauerunt Euangelium omni creaturæ, ex plurium cordibus vitia radicitus euulserunt, mundum vniuersum nouauerunt tamquam nouale, feceruntque vt vbi *oriebantur spinæ, vrticæ, paliuri, vbi erat cubile draconum*, & vbi *dæmonia occurrebant*, omniaque monstra, ita vt etiā *lamiæ* inibi *requiem inuenirent*: ibi Deus requiesceret agricola cœlestis, & seminator casti consilii ad inserenda plantaria virtutum, quæ in omni tēpore fructum facerent: & ad seminandum bonum semen multiplicandum in centuplū, & in horreum Paradisi cōgregandum: ibique resideret Deus exercituum, qui est propugnator ad saluandum: quique omnia vitiorum monstra penitus dissipat, & diaboli tētamenta.

Isa. 34 13.

Susceptor noster. Susceptor
proprie is est, qui in se suscipit
causam difficilem, vt Aduo-
catus si causam pene ab om-
nibus derelictam suscipiat de-
fendendam, & Medicus si in-
firmum suscipiat curandum,
morti proximum. Vnde susce-
ptor noster Christus est quem
1.Io.2. *aduocatum habemus apud patrẽ*
1. *iustum*, & qui solus potest pro-
Ps.102 pitius nobis esse, & *redimere*
3. *de interitu vitam nostram*. Ipse
Is.53.3 etiam medicus est *infirmitatẽ*
Ps.102 *probe sciens*, & *sanãs*, nullumq;
3. ægrum repellens, nam *omnis*
Luc.6, *turba quærebat eum tãgere, quia*
18, *virtus de illo exibat, & sanabat*
omnes. Is autem qui nos susci-
pit *Deus* est, qui erat, est, & erit,
vnde timere non possumus,
quia in Deo omnipotente, in-
finito, æterno transgrediemur
murum quarumlibet difficul-
tatum, & virtutem faciemus,

Deus

Deus Iacob, populi .s. Christiani, quem figurabat Iacob, eo quod electus fuerit prę populo Iudeorum licet iunior, sicuti *Iacob dilectus* fuit Esau reprobato. Vel si mauis in ethymo huius nominis mysterium intellige; cum enim significet *supplãtatorem*, innuit Christum eos suscipere in sui tutelam, qui pugnant *non aerẽ verberantes*, sed *castigantes corpus suum*, *colluctationem sumunt contra spiritualia nequitiæ* adeo obstinatam, vt non commoueãtur donec supplãtent eos *qui cogitabant supplantare gressus suos*. Is autem vere dicere potest *Susceptor meus Deus Iacob*, qui cum Apostolo confidenter dicere potest, *Omnia possum in eo qui me confortat*, nã in Domino confidens nunquam infirmabitur, etiam si infernus insurgat in eum. Si

Rom. 9. 13.
Gen. 27. 35.
Eph. 6. 13.
Ps. 139. 5.
Philip. 4. 13.

igitur Deus virtutum nobiscū est, si causam nostram defendendam is suscipit, qui *aduocatus est iustus apud patrem*, si *languores nostros tollit, & portāt dolores* is qui est medicus, qui sanat omnes infirmitates nostras, quid anxii trepidamus? imo in ipsis tribulationibus positi quid non speramus? Nam *si Deus pro nobis quis contra nos?* quare etiam si in mortē tradamur viuemus cum illo conformes facti vitæ ipsius, nihilque solatii nō hauriemus ab eo, qui est *Deus totius cōsolationis*. Hoc expertus sum in me ipso, qui in tribulatione mea gaudio superabundaui; cū .n. à sicario ter vulneratus fuerim in ipsa infirmitate minime tribulatus sum, imo sentii vulnera ipsa esse mihi adiutorio, quia Dominus fuit adiutor, & susceptor meus.

1. Ioa. 2. 1. *Isa. 53. 4.* *Rom. 8. 31.* *2. Cor. 1. 3.*

7 Venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram: auferēs bella vsque ad finem terræ.

Venite igitur fideles animę, & lumine fidei videte quæ prodigia fecerit Dominus dum in pace stabiliuit Ecclesiam suā, amādatis procul armis inimicorum.

VEnite inquit Propheta nō quidem accessu corporali, sed spirituali, non pedibus corporis, sed affectibus ani-

animæ. Vbique Deus est, & ideo si surgas à torpore non restabit tibi longa via, nam
Ps.144 18. *prope est omnibus, qui inuocant eum in veritate.* Nec elongatur nisi ab iis, qui ab eo discedunt
Ps.118 155. per peccata, quia *longe à peccatoribus salus*, eo quod *iustificationes eius non exquisierint.*
Luc.15 Etenim filius ille, qui *dissipauit sustantiã suã uiuẽdo luxurioso*, nõ dicitur expulsus, sed *abijsse in regionẽ longinquã*, qa ipse à patre diuidi voluit, & discedere.

Et videte. Parum est si venias, & accedas per fidem nisi oculis fidei contempleris, quod Deus sit miserator, & iustus: primum quidem vt spem erigas, & non depri-
Rom. 8 3. maris, nam si *Deus est, qui iustificat, quis est qui condemnet?* secundum vero vt fræno timoris continearis ne
Ps.130 1. *cor tuum exaltetur, & ambulet in magnis super* ipsum. Vi-

Videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Nedum vult Deus, quod consideremus *opera*, sed etiã *prodigia*. Nam quod hunc mundũ tam mirabili varietate condiderit, & quod eundem cõseruet prouidentia imperscrutabili, opus Dei magnum est, sed non prodigiosum, *dixit enim, & facta sunt omnia, mandauit, & creata sunt:* et digito suo vniuersam molem terræ sustentat ordine tam inuariabili, vt quod *præceptum posuit præterire nequeat*, quia *statuit* omnia creata *in æternum, & in sæculum sæculi*. Prodigiũ autem erit, quod factus homo reputauerit delicias esse cum filiis hominum; quod cum hominibus sit cõuersatus; quod hominibus dederit corpus in cibum, & sanguinem in potũ; quod exinaniuerit semetipsũ

Ps. 148. 5.

vsque

vsque ad mortem, mortē autem Crucis, q; descenderit ad īnferos, vt educeret vinctos de tenebris, & vmbra mortis.

Auferens bella vsque ad finem terræ. Cum *verbum caro factum habitauit in nobis* totus orbis fuit in pace compositus; non ex eo, quod rerū potiretur Octauianus, sed quia descendit in terras pax vera, quæ fecit vtraq. vnum. Vel *auferens bella* quatenus reconciliauerit nos Deo, fecerit homines socios Angelorum, sedauerit concupiscētias ne vltra aduersus animam militarent.

8 Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.

Arcum, arma, scuta, vt nullatenus unquam vsui esse queant, & ne inimici ex bello bellum adornarent, ea vel contriuit, uel in ignem misit ardenda.

ARcus significat quandoque Sacram scripturam in qua vetus testamentum ob duritiem est ferrum arcuatũ nouum est restis, & in hoc sẽsu dicitur *arcum suum tetendit* cum vetus testamentum per nouũ, vel declarauit, vel dulcorauit. Quãdoque significat potentiam, vt *non enim in arcu meo sperabo*, vel auxilium, vt *ex ipso arcus prælij*. Hic autẽ ponitur pro occultis insidiis inimicorum, *Arma* autẽ pro manifestis inuasionibus, *Scuta* pro falsis defensionibus. Christus

Psal. 7. 13.
Ps. 43. 7.
Zach. 10. 4.

ſtus igitur *contriuit arcum* cum falſa conſilia iniquorum diſſipauit, vel fallacia diaboli tentamenta diſſoluit, *Confregit arma* quando compreſſit vehementes impetus perſecutionum, vel monſtra in bonũ conuertẽdo, vt accidit in Paulo, Gordiano, & pleriſque; vel mittendo eos in tenebras exteriores, vbi *vinculis æternis reſeruabuntur in iudicium magni diei*, vt in Nerone, Domitiano, Diocletiano, & aliis viſũ eſt. *Combuſſit ſcuta*, vel cum peccatores detruſit in infernũ æternùm comburendos; vel cum igne vehementi Sancti ſpiritus eos adeo inflammauit, vt dolentes confiterentur ſua ſcelera, qui prius excuſabant excuſationes ſuas in peccatis.

Iuda. 6

9 Vacate, & videte quoniam ego sum Dominus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra:

Desistite ergo ab impijs vestris cogitationibus, mūdate à prauis affectibus corda, & animo penitus sedato in me solum intēdite; sic enim videbitis, quod ego sim solus, & nō sit alius Deus præter me, qui in terra cum gentilium, tum Iudæorum magnificabor, et glorificabor.

PEr tria, quæ significat τὸ *Vacate* monemur quomodo possimus nosmetipsos disponere ad contemplandū Deum. *Vacare* enim dicitur, qui est otiosus; qui cessat ab aliquo opere, quod patrarat; qui totus est in aliqua re: Gerat igitur animum à cogitationibus sæculi extricatum; Cesset omnino à peccatis, & quiescat agere peruerse; quātus quātus est incumbat Deo, qui accedit ad ipsum cōtemplandum, *Vacate, & videte,* quasi dicat ideo maiestatem meam contemplari nequitis,
Ps. 61. 9. quia non *effunditis corda uestra coram me,* qui solus sum *Deus adiutor vester in æternum;* quia non acceditis purificatis cordibus coram me, qui *deorsum & non faciem ostendo* peccatoribus; quia toti non adhæretis mi-

mihi, qui eos existimo inter seruos meos accēsendos, qui confitentur me in toto corde suo. Igitur accedite ad me animo quieto contrito, & nō diuiso; sic enim cognoscetis me esse Deum, qui omnia ex nihilo creaui, qui omnium curam gero, qui vobis regna cœlestia præparaui, qui pro vobis animam meam dedi pretiosissimā. Et per hæc cognoscetis me *exaltatum nedum in gentibus*, sed etiam *in terra* Iudæorum, quos terram appellat, eo quod terreni erant vtpotè vsuris, voluptatibus, & rebus terrenis dediti: In illis autē Deus exaltabitur, cū ablato velamine de eorū cordibus cognoscent Dominum Iesum.

Possunt etiam verba hęc intelligi prolata à Deo homine facto, & crucifixo, & exinde colligi vacuanda nostra

corda vitiis, desideriis, & solicitudinibus huius seculi si volumus contemplari Iesum, & hunc crucifixum: nam qui diligit terrena bona, nequibit in Christo paupere cœlestes diuitias meditari. Qui amat delicias auocabit mentem à
Isa. 53 3. Christo *viro dolorum*, adeoque *sciente infirmitatem*, vt à planta pedis vsque ad verticem capitis non fuerit in eo sanitas. Qui deniq; superbus ambulat in magnis super se, non æstimabit in Christo, quod
Philip. 3.8. *humiliauerit semetipsum factus obediens vsque ad mortem:*

10 Dominus virtutũ nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Re-

REpetit hunc versiculum, vt excitet spem feruentiorem in nobis ad expectanda multa à Deo, qui cum sit Deus exercituum nobiscum est, susceptor, & defensor noster.

AVCTOR LECTORI.

QVia inter soliloquia B. Andreę deerant ea, quę fusa ad Patrem æternum, & ad Spiritum sanctum facerent, uel ad prę parationem accedendi digne ad sacram sinaxin, vel ad gratias post ipsam agendam: statui hæc, quæ sequuntur, vtcumque potui ex Sacræ scripturæ, & Sanctorum Patrum sententijs veluti ex floribus fasciculos

coagmentare: & ne pagellę aliquot vacarent, aliud apposui, quod oratio præparatoria dici potest ad sacram communionem, nam continet paraphrasim verborum, quæ ex ritu Ecclesiæ proferunt communicaturi. Vtinã sint ad Dei gloriam, & ijs conducant, qui de corpore Christi Domini sunt participaturi.



SOLILOQVIVM XVIII.

Oratio ad Patrem post communionem.

PAter misericordiarũ, Deus immensæ maiestatis, fons inexhaustę bonitatis, quo magis assurgo ad contemplandã magnificentiam tuam, eo magis cognosco, quod minor sim cũctis miserationibus tuis. Creasti etenim me ad imaginem tuam, vt qui videret me, in me contẽplaretur opus tuum: & ad similitudinem, ut adamussim tuæ perfectionis in semitis tuis perficerẽ gressus meos. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, illam ut uitam degerem non animalem, sed quæ esset à spiritu oris tui: hanc, quia cum uidisses me cõculcatum in sangui-

ne peccatorum meorum, liberasti de sanguinibus, & redemisti de interitu vitam meã. Visitatio tua toties custodiuit spiritum meum, quoties præseruasti me à laqueis operantium mendaciũ, & in conspectu adstantium inimicorũ meorum factus es mihi adiutor. Sed non habet metas tua misericordia Bonitas profusissima, quamuis mea malitia metas nõ habuerit; & vbi ego comedendo cibum vetitum in profundum deueni, tu apponendo erga me cor tuum, dilectum scilicet filium tuum corroborasti super me misericordiam tuam, mentemque meam omnium cœlestiũ charismatum abundantia impinguasti.

Quid dicam, aut quid respondebo tibi Altissime Domine? Certe quod non valeo re-

reſpondere vnum nedum pro mille,ſed pro infinito,ac proinde nil aliud dicam quoniam tu feciſti. Tu enim qui mirabilis es in operibus tuis, memoriam feciſti mirabilium tuorũ dando hanc eſcam timẽtibus nomen tuum. Tu omnipotẽs dediſti filio tuo omnia in manus, ut præbendo nobis ſemetipſum comedendum conſummaret,& extenderet opus redemptionis æternę,& reparationis antiquæ. Tu immenſus per hoc ſacramentum voluiſti,quod offetretur in omni loco nomini tuo oblatio mũda,vt inde cognoſcerent omnes,quod magnum ſit nomen tuum in gentibus. Tu Propugnator ad ſaluandum paraſti in conſpectu meo hanc menſam aduerſus omnes, qui tribulant me. Tu medicus ſalutis hoc antidotũ tribuiſti quo

liberarer à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruarer. Tu amator ardētissimus conscidisti saccum, corpus v3. filii tui in quo repositi erant omnes thesauri sapientiæ, & bonitatis tuæ, & diuitias tui amoris super nos effudisti. Tu vis vnitiua cordiū dedisti nobis hunc panem, qui de Cœlo descēdit, vt comedētes eū maneremus in te, & tu in nobis. Tu Deus totius consolationis dedisti nobis hunc cibum in tēpore afflictionis, vt in terra salsuginis vbi non est nisi afflictio spiritus inebriati ab vbertate domus tuæ exultaremur, & lætaremur in te memores vberum tuorum. Tu Deus, & glorificator noster, ob immensam tuę clemētiæ largitatē hoc pignus perpetuæ hæreditatis nobis miseris præbuisti, & per eum voluisti,

luiſti,vt quadam anticipatione in terris poſſideremus Cœlum.

Nunc Domine iure potes dicere, quid vltra potui facere,& non feci,nam vltra extẽdi nequit miſericordiſſima largitas tua; dum enim frumento,& vino nos ſtabiliſti, dediſti nobis, quod pulchrum, & quod bonum tuum eſt. Cur igitur non expergiſceris anima mea?cur non excutis puluerem mundanarum cogitationum? cur non ſurgis de tenebris,& umbra mortis tranſlata iam in regnum dilectionis filii Dei,& conſors facta diuinitatis ſuæ? Cogita quod ideo corpore dilecti filii ſui ſaginauit te Deus pater,ut uiuas uita eius, adeo ut quicquid cogitaueris ſint cogitationes Dei, quicquid locuta fueris ſint quaſi ſermones

Dei, quicquid ministraueris ea ministres tamquam ex virtute, quam administrat Deus. Recogita quod cũ Rege gloriæ iam cœnasti, qui cum discipulis suis facit Pascha: quare stude obedire uoci eius, nec discedere à regula sermonum eius, vt quotidie digna sis, qui voceris ad cœnam nuptiarum agni cœlestis. Considera quæ tibi apposita fuerint, & statue cultrũ timoris nedum in gutture, sed in omnibus membris tuis, vt nihil vnquam sentias, audias, videas, loquaris, opereris, nisi quæ faciant ad maiorem gloriam omnipotentis Dei. Adhære Deo, quia vnum quid facta es cum filio eius; & quia cũ corpore ipsius indiuiduitatem accepisti, indecorum reputa si non viuas de spiritu eius. Nulla creatura audeat te à Deo separare; nõ

mun-

mundus,quia ſi viuis Deo iam mũdus eſt tibi crucifixus; Nõ caro,quia qui ſuntChriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis,& concupiſcentiis; Non mors,quia iã comediſti pharmacum immortalitatis; Non vita, quia iam habes diuinam miſericordiam,quę eſt melior ſuper vitas; Non Angeli,quia ſi tecum eſtDominus Angelorum, omnes cæleſtes ſpiritus habes miniſtros ſalutis tuæ; Non inſtãtia nec futura, quia cum repleuerit in bonis deſiderium tuũ nihil eſt amplius, quod quæras neque in Cœlo, neque in terra;Non denique diabolus,quia dominico corpore impinguata facta es diabolo terribilis.

Spera in Deo,qui eſt ſalutare vultus tui,& Deus tuus;qui ſi adeo dilexit te,vt filium ſuũ vnigenitũ tibi daret, quomo-

do etiam cum illo omnia tibi donabit? Effūde corā illo cor tuum, quia adiutor, & protector tuus est. Exposce misericordiam, quia diues est in misericordia, & miserationibus; salutem quia est virtus salutis tuæ; fortitudinem quia ipse docet manus nostras ad prælių, & digitos nostros ad bellum; protectionē quia sub vmbra alarũ suarũ nos protegit. Si pauper es roga, vt eleemosynam accipias ab eo, qui habet diuitias in domo sua. Si infirma, dic, Sana me Domine, & sanabor saluam me fac, & salua ero, quia ipse est medicus sanans omnes infirmitates. Si cœca, clama, Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, quia ipse nedum est salus, sed illuminatio nostra. Si clauda roga, vt te alleuet, & dirigat vt ambu-

les ſemper ad laudandũ Deũ, quia ipſe erigit eliſos, & dirigit pedes noſtros in viam pacis. Si deuia expoſce, vt cõuertat te in viam rectam, reducatque in ſemitas iuſtitiæ. Si anxia, quære ab ipſo, vt dirigat conſilium tuum, & diſciplinam, ita vt in conſpectu altiſſimi glorieris. Si deniq; ad nihilum es redacta, reſpiciet Dominus, quod facta ſis vilis, & exaltabit te. Omnia tibi cum illo donabit, Patientiam nam dedit tibi eſcam confortantem in die tribulationis; Perſeuerantiam, quia in fortitudine talis cibi ambulabis vſque ad montem Dei; Abdicationem à tranſitoriis, quia dedit tibi ſpiritualem dulcedinem in proprio fonte deguſtatam; Gratiam, quia in eo mens impletur gratia; Gloriã, quia eſt pignus futuræ glorię.

SO-

SOLILOQVIUM XIX.

Oratio ante communionem ad Spiritum Sanctum.

VEni Sancte Spiritus perfla hortum animæ meæ, in quem descensurus est dilectus meus, vt colligat fructum illi debitũ, fructũ. s. dulcẽ, & odoriferũ. Vide, & considera, quod huc vsq; dederim illi sterilitatem, qui nec herbã virẽtẽ bonæ spei germinaui, nec florem bonæ cogitationis, nec fructũ produxi boni operis. Perfla illum, quia sic renouabitur facies terræ, quæ germinãs germinabit, & exultabit lætabũda, & commutabitur desertũ in Charmelum. *Emitte cœlitus lucis tuæ radium*, quo videã me in peccatis mortuum, & tenebris ignorantiæ obuolutum,

in-

indigere pane vitæ,& intelle-ctus. *Pater pauperum* cōsidera, quod consumpserim omnem substantiam meam abeundo post amatores multos. Pater es, & ideo habes intra tua viscera affectum exorātem: Abij in regionem longinquam, reuoca me ad domum tuam: Nudus sū, operi me vestibus gratiæ tuæ. Fame pereo, da mihi vitulum saginatum corpus v3. Christi pro me in ara Crucis immolatū, quod repellat á me omnem famē, & me reficiat. *Dator munerum* præbe mihi diuitias gratiæ tuæ, ne vacuus appareā ante conspectum tuum. *Lumen cordium* discute omnes tenebras cordis mei, vt totum coruscet ad illuminationem lucis veræ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, totumque ardeat ad combu-

stio-

ſtionem calculi igniti, qui venit ignem mittere in terram.

Conſolator optime da mihi lætitiam ſalutaris tui, vt ſaturatus Deo laudem eum sẽper cum iubilo cordis, & requirã eum, quia omnis conſolatio, quæ Chriſtus non eſt, amaritudo eſt amariſſima. *Dulcis hoſpes animæ* adeſto in me, purga me, adorna me, vt nihil in me reperiat Chriſtus, quod oculos poſſit offendere maieſtatis ſuæ. *Dulce refrigerium* refrigera animam meam ab omni æſtu concupiſcentię, vt inebrietur vino virgines germinante. *In labore requies*, fac vt de vniuerſo labore, quo laboraui ſub Sole, habeam ſatiari hoc pane vitæ, qui facit viuere in æternum. *In æſtu temperies* tempora æſtum iræ, vt non accedam velut tigris ad agnũ Dei, qui tollit peccata mundi,

di,& iratus ad Regem meum, qui venit mihi mansuetus. *In fletu solatium* abſterge omnem lachrymā afflictionis ab oculis meis, ſed poſtulare me fac gemitibus inenarrabilibus, quæ ſunt lachrymæ conſolationis; vt hunc panem Angelorum cum ipſis manducem, & cum hoc fletu miſceam calicem ſalutis meæ.

Scis Domine, quod *Sine tuo lumine nihil eſt in homine*, & ideo rogo, vt ſignes ſuper me lumen vultus tui, vt à fructu frumenti, & vini multiplicatus in virtutibus, in pace Chriſti requieſcam. Scis quod *Nihil eſt innoxium*, & ideo rogo te, vt *Laues, quod eſt ſordidum*, nam tu ſolus poteris me lauare ab iniquitate mea, & à peccatis meis mundare: *vt Riges, quod eſt aridum*, nam tu ſolus poteris in ſpiritu miſericordiæ cō-

gre-

gregare aquas gratiarum, quę reddant animam meam hortum irriguum; vt *Sanes quod est saucium*, nam congruum est, vt prius saner ab infirmitate, vt postea ascendere possim ad montem, in quo præparauit mihi Dominus conuiuiũ pinguium, & vindemiam defęcatam.

Flecte quod est rigidum Dulcedo æterna, vt nihil in me reperiat asperum nil amarum is, qui vult, quod aspera fiant in vias planas, & affert secum magnam abundantiam suauitatis. *Foue quod est frigidum* Ignis cœlestis, vt cum Deus veniet in cor meum, quod est mare feruens ob fluctus inũdantes passionum, aquæ ardeant igne charitatis. *Rege quod est deuium* Dux fidelis, vt te rectore perueniam in locũ tabernaculi admirabilis ad epu-

epulandum coram Dominô, & tali cibo recreatus non deficiam in via, ſed confortatus ambulem vſque ad montem Paradiſi: vbi cum patre, & tecum viuit Chriſtus, qui eſt panis vitæ in ſæcula ſæculorum. Amen.

SOLILOQVIVM XX.

Oratio ad Spiritum Sanctum poſt communionem.

QVid retribuam Dominô pro omnibus, quæ retribuit mihi, qui nec dicere poſſum Domine, niſi in virtute tua ò Sancte Spiritus. Reple os meum laude tua, quia quantumcumque glorificauero ſemper maior erit is, qui eſt maior omni laude. Ignis diuine deſcende ſuper cor meum, & incende illud, vt

fiat sacrificium meum, ita vt placeat tibi Domine Deus. Veni super me in spiritu iudicii, vt per hoc sacramentum auferas omnes reliquias meorum peccatorum; & in spiritu ardoris, vt diuina charitas, quam accendit in corde meo hic calculus ignitus ardeat sẽper super altare cordis mei. Præbe mihi *sacrum tuum septenarium*, ita vt requiescat super me *spiritus intellectus*, quia insipientibus locutus es. Venite comedite panẽ meum ad hoc vtique, vt non sint amplius insipientes. *Spiritus intellectus*, quia cibatus sum pane vitę, & intellectus, potatusque aqua sapiẽtiæ salutaris. *Spiritus consilij* in agendis, quia in eo ordinas charitatem, quem introducis in cellaria Dei, vbi memor vberum tuorum exaltabitur, & lætabitur in te. *Spiri-*

ri-

ritus fortitudinis, nam panem fortium manducaui, & qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem. *Spiritus scientiæ*, quia tuum est docere omnem veritatem, eamque tunc Apostolos docuisti cum cœlestibus deliciis in vltima cœna fuerunt pasti. *Spiritus pietatis*, vt pius sim erga omnes, qui erga me Deũ sum expertus tam munificum. Repleatque me *Spiritus timoris Domini*, vt quantus sum semper spirẽ timorem Domini.

Ne permittas Domine in cor meum intrare sordes iniquitatum, quia fruens tanto sacramento cœlo purior esse debet, & ipso solari gladio splendidior. Fac quod labia mea nunquam loquantur iniqua, nam tacta ab hoc ignito calculo non debẽt loqui opera hominum, sed sermones

Dei. Fac quod opera mea munda sint in conspectu Dei, quia tu solus es, qui potes facere mundũ de immundo cõceptum semine. *Da virtutis meritum*, quiã tuum est ponere adiutorium super eum, quem hic panis potẽtem facit, quousque exaltetur electus de plebe Dei. *Da salutis exitum*, tua enim perfecta sunt opera, vnde opus salutis, quod in me incepisti signando super me lumen vultus tui, & vocando me per fidem in communionem sanctorum; quam prosecutus est prębendo hanc escã, qua enutriti crescimus in corpore, & vnitate Christi, rogo vt ad calcem perducas, ita in exitu vitæ meæ sentiam virtutem exire de corpore Iesu viatico peregrinationis nostræ. *Da perenne gaudium*, cuius pignus in hoc sacramento iam de-

dediſti, vt in cœlo de te ſatiatus ſatietate mirifica, nunquã eſuriam neque ſitiam, ſed benedicam nomini tuo quoniã in æternum tua miſericordia, & cum iubilo laudem dicam tibi, qui cũ patre, & filio eius viuis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum.

SOLILOQVIVM XXI.

Oratio ante communionem facienda pro oportunitate Sacerdotis, vel eius, qui ad ſacrã ſinaxin eſt acceſſurus.

DOMINE, Summe, Optime, Potentiſſime, Omnipotentiſſime, Miſericordiſſime, & Iuſtiſſime, Secretiſſime, Pulcherrime, & Fortiſſime; Stabilis & Incomprehenſibilis, Immutabilis mutans omnia, nunquam nouus, nunquam

quam vetus ; ſemper agens, ſemper quietus ; Colligens,& non egens,portans,& implēs, & protegens: Creans, & nutriens,& perficiens.EGO,putredo,vermis,vmbra,vanitas, mendax imò mendaciūm, nihil;qui toties auerti faciem à Deo ſalutari meo,& conuerti ad creaturas in quibus nō eſt ſalus;qui dirupi iugum ſuaue diuinæ legis, & ceruices ſubdidi iugo diaboliduriſſimi exactoris ; qui iuſtitiam extruſi, & introduxi iniquitatem ; qui abieci ſponte armaturam ſpiritualem,& meis hoſtibus me dedidi;qui amiſi cœlum,& regnum tenebrarum acquiſiui; qui conſolationem renui , & inueni deſolationem,qui poſt vanitatem ambulaui,& uanus factum ſum . NON SVM DIGNVS , etenim ſi in Angelis tuis reperis prauitatem;

ſi cœli non ſunt mundi in cõſpectu tuo; ſi terra mota eſt cum eſſet te mortuum receptura; ſi ciues Paradiſi cum in illum rediuiuum rediiſti dixerunt: Quis eſt iſte Rex gloriæ? quis ſum ego, qui audeam intra me inuiſcerare te Creatorem meum? quantus ſum, qui tam immenſo hoſpiti poſſim hoſpitium præparare? qualis ſum, vt valeã adornare thalamum cordis mei, & ſuſcipere te regem glorię noui luminis?

VT INTRES SVB TECTVM MEVM. Vide quãtum audeam Domine! & vbi Iob vir ſimplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo habuit pro magno, ut eum uiſitares, & erga eum cor tuum apponeres: Ego homuncio uiliſſimus, & ſordidiſſimus peccator, qui inconſtans ſemper fui in omnibus uiis meis,

qui toties declinaui à tuis semitis, qui abieci timorem tuum,& adhæsi iniquitati: nõ cõfundor te rogare, vt intres sub tectum meum: quasi parũ sit expoſcere à te, vt apponeres erga me cor tuum de me cogitando, vt me visitares in me respiciẽdo, nisi adderem, Intra in me,immiſce te mihi, in me cõtempera corpus tuũ, vt in te habeam *indiuiduitatem*, ita vt vere dici possit, quod tu in me maneas,& ego in te.

SED Domine Deus creator meus, & virtus salutis meæ. Veni vt Saluator,& eripe me de aquis multis, quæ intrauerũt vſque ad animam meam. Veni vt Medicus,& ſana omnes infirmitates meas. Veni vt Bellator, & eiiciendo fortem armatum, aufer a me ferream voluntatem meam

in

in qua confido. Veni vt Redemptor,& redime me ab hoste maligno captiuante me in lege peccati. Veni vt Rex, & fac vt totus sim positus in ditione tua. Veni vt Dux, & cõuerte gressus meos in testimonia tua. Veni vt Pastor,& colloca me in loco pascuæ, & super aquam refectionis tuæ. Veni vt lapis angularis,& cõpagina me in structura muri Ierusalem. Veni vt Magister, & fac vt discam a te, quod mitis sis,& humilis corde. Veni vt Pater, & regenera me: vt Lux,& illumina me: vt Via,& dirige me: vt Veritas, & doce me: vt Vita,& viuifica me.

DIC TANTVM VERBO: Tu Verbum caro factum, vt habitares in me, firma me verbo túo, quo firmati sunt Cœli, vt ordinatione tua perseuerando enarrem gloriam

tuam. Dic verbum, quod dixisti Zacchæo, quod hodie in domo mea oporteat te manere, vt ego dicere possem hodie salua facta est anima mea. Dic uerbũ, quod dixisti Magdalenæ, & fac vt adeo te diligam Deus meus, ut remittãtur mihi omnia peccata mea. Dic uerbum, quod dixisti Chananææ, & disperge omnes inimicos, qui uexant animam meam. Dic uerbum, quod dixisti Matthæo, & fac ut omnibus abdicatis, te solum sequar Redemptorem meum. Dic uerbum quo resuscitasti Lazarum à monumento, & resuscita me in peccatis mortuum, in sepulchro positum, quatriduanum, fetidum; quia obduratus, & in pędore uitiorum obuolutus iam cõputrui. Dic uerbum quo uocasti Petrum, & Andream, & fac

fac vt continuo relictis omnibus, quæ possideo, quæ amo, quæ spero, sequar te quocunque ieris.

ET SANABITVR ANIMA MEA: Quæ enim infirmitas potest esse ubi est salus? quæ debilitas ubi firmamentum? quæ cæcitas ubi lux? quę ignorantia ubi sapientia? Accedo igitur fiducialiter etiam si immūdus sim ad te, qui uis, & potes me mundare. Accedo ut pauper ad te, qui es diues in misericordia, & miserationibus. Accedo ut imbecillis ad te, qui es fortitudo mea. Accedo ut ægrotus ad te, qui ut medicus non uenisti uocare iustos, sed peccatores. Accedo ut ouis errans ad te, qui es pastor meus. Accedo ut nihil ad te, qui es Creator meus. Veni obsecro misericor dia superfluens, & erue me in

mirabilibus tuis,ut detur gloria nomini tuo. Omnipotentia æterna crea in me cor mũdum,& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Infinita bonitas demerge in te omnes iniquitates meas,ita vt ante te ſuper niuem appaream dealbatus. Sapientia æterna intra potenter in animam meã, profliga cũctos hoſtes meos, conſume cuncta vitia,& defectus meos,remitte cũctas iniquitates meas. Illuſtra intellectum meum lumine veræ fidei. Inflamma voluntatem meam feruentiſſimo amore tuo;ſerena memoriam meam dulciſſima tua præſentia; & cunctis potentis animæ meæ virtutem talem tribue, vt in me noua ſint omnia, cor ſcilicet,voces,& opera. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, vt ſaluum

me

me facias ab omnibus inimicis meis nunc, & in hora mortis meæ, vt adductus à te in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua, ibi laudem dicam nomini tuo, & dicã sẽper quoniam tu es Bonus, & in æternum miſericordia tua. Amen.

LAVS DEO.

INDEX RERVM,
quæ in his Soliloquiis continentur.

So. significat Soliloquium. Ps. Psalmum. Prior numerus Soliloquium. Secundus paginam.

A

 ritus

Chri-

Quan-

F

G

H

L

M

N

T

V

FINIS.

Loca aliquot S. Scripturę piè explicata.

Errata ſic corrige.

pag. 36. Illum cor. Deum
pag. 60. meretriceo, cor. meretricio
pag. 69. exurierit cor. eſurierit
p. 95. alienigenorũ, cor. alienigenarũ
pag. 115. ſupere eminebant, cor. ſu- (pereminebant.
pag. 119. inducit cor. induit





